

PALAESTRA

LATINA



PALAESTRA LATINA

ADMINISTRATIO

San Antonio M.^a Claret, 9

ZARAGOZA - España

N. 227 — ANN. XLV — FASC. II

M. JUL. - DEC. — A. MCMLXXV

P A L A E S T R A L A T I N A

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
CAESARAUGUSTAE EDENDI

COMMENTARIORUM CONSILIU M

| | |
|------------------------------|---------------------------------------|
| <i>Praeses:</i> | A. Pérez, CMF. |
| <i>Moderator:</i> | M. Molina, CMF. |
| <i>Administrator:</i> | H. Arenas, CMF. |
| <i>Curator technicus:</i> | J. Aspa, CMF. |
| <i>Praecipui scriptores:</i> | J. M. Mir, CMF. - J. M. Jiménez, CMF. |

MODERATIONIS LOCUS cui mittenda sunt scripta:

Seminario Claretiano - ALAGON (Zaragoza - España)

ADMINISTRATIONIS SEDES cui pretium mittatur oportet:

San Antonio M.^a Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

PRETIUM SOLVENDUM

- pro commentariis quotannis edendis:

| | |
|---------------------------|---------------|
| — in Hispania constat | 100 pesetas |
| — in America Hispanica | 100 pesetas |
| — in Gallia | 12 francis |
| — in Italia | 1400 libellis |
| — in Germania | 10 marcis |
| — in Anglia | 20 solidis |
| — in reliquis civitatibus | 3 dollaribus |
- pro serie integra cujusque superioris anni:
125 pesetas constat in Hispania.
- pro quoque fasciculo qui separatim venit:
30 pesetas in Hispania constat.

M. JUL. — DEC.

A. MCMLXXV

227

ANN. XLV

FASC. II

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

SOCIIS CLARETIANIS BIS IN ANNO EDENDI

I N D E X

N. 227 — ANN. XLV — FASC. II

M. JUL. - DEC. — A. MCMLXXV

| | |
|--|-----|
| G. WALLNER, <i>Laus Athesis</i> | 67 |
| TH. CIRESOLA, <i>Sacrum Graeci Praesepium</i> | 79 |
| MINICUCCI - MIR - NOVÁK, <i>Commercium epistularum inter socios.</i> | 83 |
| B. C. POVSIC, <i>Commentarii in Decimi Junii Juvenalis saturam tertiam (II)</i> | 91 |
| P. ROMANELLI, <i>Certamen Capitolinum XXVII</i> | 107 |
| J. ASPA, <i>Quibus modis Vergilius res ornando amplificet</i> | 109 |
| AE. PIOVESAN, <i>Cicero in scripto «De officiis» praecepta moralia nobis praebet</i> | 113 |
| C. DESESSARD, <i>Orestes Badellino (1896-1975)</i> | 115 |
| M. MOLINA, C. M. F., <i>Bibliographia</i> | 117 |

LAUS ATHESIS

Versus alias regiones delectationis causa itinera, cum hac nostra aetate facillima redditia sint, crebriora et prolixiora de die in diem suscipiuntur. Longinquiores adeuntur terrae, remotiores petuntur insulae, numerosiores visitantur gentes per terrarum orbem diversis rationibus moribusque viventes.

Aestivis praesertim mensibus peregrinatores provincias pagosque peragunt. Viae et tramites strepitibus ac stridoribus raedarum, curruum birotarumque resonant, qui nullis interjectis intervallis in iis volvuntur. Immo et autoraedarum viae propriae, quamvis amplissimae et duabus vel tribus in utraque parte semitis instructae vehiculorum copia ita refertae sunt, ut longa interdum agmina formentur, quae cochlearum more lentissime prorepunt aut per haud exiguum temporis spatium omnino sistunt. Hamaxostichi quoque adeo impletii sunt, ut non perperam arbitreris vectores inter se comprimi. Et quemadmodum apes melliferae alveolaria circumvolant, ita velivola in aeroportuensibus campis serie paene continua vel in terram delabuntur vel sublime abeunt.

Manifesta nihilominus emolumenta periegensis rite susceptae et bene institutae sunt; verae hominum felicitati inservire potest uberesque inde fructus perspiciuntur. Cum novitas et varietas mirificam habeant oblationem, aptissima animi relaxatio est ad saepe extenuatorium quotidianae vitae decursum. Item multum ad ingenii expolitionem confert, quia historiae et geographiae notiones auget et homines ad divitias humanae operae spectandas allicit. Profundioris humani dialogi praebet facultatem, in alios reverentiae sensum promovet et homines mutua cognitione ditantur. Multis praeterea opificibus aperit fontes laboris et haec quoque commoditatis habet peregrinatio, quod ex itinere revertentibus haud raro dulcior appetit domus propria. Maxima autem in eo est laus, si homines per contemplationem et admirationem naturae creatae toti familiae huma-

nae communis ad profundiores venerationem et communionem divini Creatoris perducuntur.

At ne longinquorum locorum dilectione domestica obliscantur, ne ea parvi pendantur, quae prope sunt, ne nostra potissimum terra proficiscentes tamquam hospites inveniamur, operaे pretium mihi videtur esse, si praeconia fluminis terrarumque quas illud adlambit modestis revoco verbis in mentem. Alius forsitan omnes hoc loco res gestas proferret in medium, singula exponeret oppida, describeret gentes, diceret regna. Ego autem ea tantum scribam, quae mihi in promptu, legentibus autem, ut spero, utilia sunt et jucunda.

Athesis flumen est quod Italis et Austriacis facillime patet sed et ab Helvetiae et Germaniae incolis non difficile adiri potest.

Vallis jam ex omni antiquitate veluti via principalis erat, qua populi qui sedes mutare quaerebant demigravere, qua mercatores ventitavere, qua exercitus bellis imperii proferendi causa susceptis deducti sunt. Cimbri quoque per hiemem, quod mirandum est, Tridentinis jugis in Italiam descenderunt et Athesim flumen ingestis arboribus transiluerunt. Campis autem Rudiis prope Veronam a C. Mario et Q. Catulo devicti sunt.

Septemtrionalium plagarum incolae miro semper amore et desiderio singulari Italiae tenebantur, terrae solis et lucis, terrae sub limpidi caeli serenitate ridentis. Quot ex Austria, quot e Germania viri ingeniosi huc se contulere, ut animum ad opera egregie patranda impellerent. Sufficit exempli gratia referre Albertum Durerium, pictorem optimum, Wolfgangum Mozart, modulatorem paene divinum, et Wolfgangum Goethe, poetam celeberrimum. Passim in litteris Germaniae fragrantes Italiae fructus renident.

Ergo, benevole lector, Athesis mecum sequere flexus, quibus, etsi non ad penetralia, ad pulcherrimum tamen Ausoniae vestibulum duceris. Pagos contemplare, quos perfluit ille, urbes prospecta. Lassum animum semper improvisa novitate mirum in modum reficies, non horae momentum sine miraculi novitate transibit. Multos sane locos attingit propter magnitudinem, quippe qui chiliometra quadringenta amplius in longitudinem pateat.

In silvosis Alpium Raeticarum cacuminibus originem habet, ubi aqua crystalli claritatem ostendit, mox lividum lacum structilem perfluit paulo supra hanc memoriam exstructum. Totus tunc vicus obruebatur fluctibus, cuius aediculae turris adhuc emergit ex undis. Tum Athesis haud modico libramento in campum Malles decurrit et recepto minorum rivulorum subsidio Glurentiam attingit civitatulam. Deinde ad orientem solem versus Vallem Venusticam amoenam irrigat, cuius partem superiorem eluvionibus nonnumquam infestat. In inferiore vallis parte placidiores jam trahit meatus. Hic sociis lymphis a latere sinistro locupletatur rivi Senalis, qui e valle satis angusta et conspectu pulcherrima defluit. Hoc loco aedes exsurgit

S. Proculo dicata antiquitatis decore conspicua. Pervetusta opera udo illitis coloribus conspiciuntur.

Ubi ferox Passeris amnis verticibus frequens in Athesim undas volvit, viatorem excipit Meranum, amoenissimus sane et saluberrimus locus. Numquam frigoribus nimis infestatur nec solis ardore torretur, nam montibus et collibus ita circumdata jacet ut a meridie tantum latus pateat aditus. Sic fit, ut nec a cauro quassetur, nec ab aquilone verberetur, sed placidissime mulceatur ab austro. Hic jam fructus calidioribus terris oriri sueti germinant passim, ut procerae pinus, cupressae coniferae, castaneae patulae. Tremulae quoque jam nutant palmae, quae, si hiemali tempore nive refulgent conspersae, mirabilem habent adspectum.

Hospites multi hunc adeunt locum, alii, ut felicitatem regionis admirantur, alii autem, ut valetudinem firment aut recuperent. Non solum caeli et aeris clementia ad hanc rem potissimum conferunt, non solum uvarum sucus, qui coram expressus bibitur, sed et fontes radiante vi agentes nuperrime detecti et ad usum visitantium dispositi.

Jam antiquis temporibus hic locus clarus fuit. Claudius Drusus magnitudinem dominationis Romanae longe lateque porrectae continuis expugnationibus firmans, ut faciliorem haberet ad Danuvium flumen aditum, hujus regionis barbaras gentes devicit et in tutelam provinciae praesidia et oppida disposuit, quorum id ad confluentiam Passeris Athesisque locatum, cui Castrum Maiense nomen imponebatur, quodque fons et origo Merani esse creditur, mox in emporium frequentissimum succrexit. Claudius autem imperator paulo post viam munire jussit, quae ab Altino Feltriam, Tridentum, Bauzanum, Maiam ducebat et inde in superiorem Aeni vallem. Haud mediocriter civitas media quam vocant aetate florebat. Venantius Fortunatus versibus elaboratis iter cecinit, quo e valle Aeni Maiam aggressus est. Sanctus Corbinianus, verbi divini infatigabilis praeco, qui in locum Frisingensis dioecesis ascendit Maiam magno dilexit affectu.

Eventum interpolem permittatur saeculi superioris. Joannes Archidux, frater Fransisci Imperatoris Austriae, Annam, formosam filiam cursui publico praefecti juxta legem salicam seu morganaticam uxorem duxit. Cui mulieri monarchus, licet matrimonium numquam probaverit, Comitissae Merani titulum et honores contulit. Domicilium et mausoleum sumptuosum familiae adhuc monstrantur.

Paene, viator, tibi persuaseris medio adhuc versari aevo per vicos angustos ambulans juxta domunculas maenianis ornatas porticibusque instructas, ubi mercatores res pulchras et utiles proponunt venales. Nec desunt spectatores emptioresque ex plurimis dissitibusque Europae partibus convenientes. Templa specta magnifica Gothica arte exstructa, S. Barbarae dicatum sacellum et S. Zenonis arx quam Meranensem vocant Acropolim.

In Platea Areniana commorari parumper juvat. Hic anno CCCXIV supra millesimum Fridericus Dux Habsburgensis magna nobilium stipante caterva Joannem XXIII Pisanae oboedientiae pontificem per officiose excepit et ad Constantiam usque comitatus est concilium celebraturum, quo diuturnum et lamentabile schisma, quod Romanam Ecclesiam dilaceraverat ablatum est, quo tamen Joannes ipse una cum antipapa Avenionensi summo depositus est pontificatu.

In pomiferis vitiferisque collibus qui Meranum spatio satis ampio circumsaepiunt varii pagi et vici sunt, quorum Tirolis principem obtinet locum. Oppidulum, a quo tota provincia dicta est, etsi non magnae amplitudinis sit, aspectu jucundum et rerum gestarum memoria nobile est. Originem rationemque nominis haud facile est explicare, sed ad veritatis similitudinem ii videntur esse propensiores qui hanc vocem «transitum» significare putant. Tres enim inveniuntur ejusdem etymologiae loci, quorum unus est in transitu de valle Aeni ad Isarci vallem, Teriolis Cyreola, alter ubi transitus est de Mare Ionico ad Tyrrhenum, Tirolo Calabriae dictus, tertius autem noster est vicus, ubi de valle Venustica ad Passeris vallem transitur. Fieri solet, ut ea, quae majora, quae ampliora, quae digniora sunt, minoribus, exilioribus, vilioribus nomina dent. Hic contra provincia clara et magna nomen mutavit ab oppidulo, cuius memoriam Dantes Alagherius ipse in Divina sua Comoedia fecit, in qua hos dulces legimus versus:

Suso in Italia bella giace un laco
appiè dell'Alpe che serra La Magna
sovra Tiralli, c'ha nome Benaco.

Loco eminentiore, ubi aer jam purior est, arx se extollit, potens olim, sed satis rude propugnaculum, quod Comites Tirolenses inhabitat ante quam Habsburgi imperio hujus provinciae potiti sunt. Rusticae sunt quae adhuc in ostiorum antepagmentis conspiciuntur sculpturae mysticas et arcanae ostendentes figuræ. Ceteroqui semi-rutum invisentibus patet castellum.

Nunc ad flumen nostrum debemus revertere quod Passeris aquis receptis dextrorsus se flectit, Leonianum oppidum vetustis circum-datum arcibus praeterfluit et modicis flexibus per convallem satis amplam decurrit. Via comitatur amnem valde angusta, non paucis anfractibus periculosa et vehiculorum commeatu frequentissimo semper redundans. Haec terra pulcherrima ubique in laetissima viriditate exsultat, colles ipsi ridere videntur. Pomarium illam dixeris amplissimum verno tempore albescentibus et rubicundis renitens floribus, scatens fontibus, querularum avium vocibus resonans, visibus, sonis odoribusque perjucunda haec regio visentibus se exhibet, quasi theristrum elysii terrestis. Homines hilares, industrii, frugi, sanc-

tae religioni admodum dediti sunt, et nusquam, ut puto, hospitalliores. Palmitibus colles vestiti sunt et fructus uberrimos colonus colligit, condit et vendit. Di boni, fructuum pomorumque quanta varietas!, quanta copia! Non solum malorum pirorumque germina multiplicia pullulant, sed et poma persica et armenica mirae dulcedinis et magnitudinis glaeba profert, quae in trichilis ubique veniunt. Quid dicam de vino creato in jucunditatem, quod non solum uberrimum et generosum et dulce sed et varium sapore et adore haec regio suppetit. Sive aureolo colore flavescit, sive purpureo rutilat, mire palatum afficit et corda laetificat.

Poma et vina veluti nuntii sunt in regiones longinquas emissi, ut desiderium excitant visitandi terram floribus vernis convestitam, aestivis caloribus somniantem, autumnalibus donis ebriam, albenti silentio hiemali quiescentem.

Isarcus qui e Brenneri jugo inter cautes et saxa sonantia nigrescentibus undis defluit a latere sinistro sub Athesis aquas properat copiosissimum et afferens augmentum. Juxta Bauzanum jacet, praecipua provinciae civitas in valle concava et ampla frugumque feraci, praeruptis montibus, qui veram a se majestatem diffundunt, circumdata. Hac Ortlerus eminet cuius altitudo est metra MMMCMII supra maris libram, illac Dolominiana juga nive perpetua rigentia exsurgunt cum mole Roseti, quod dicitur, et cum Turribus Valetianis, quae in altitudinem ingentem editae caelo et sideribus contiguae esse videntur. Saxa et culmina ista grande praebent spectaculum, si occidente sole se rubescenti colore velut veste induunt: rutilis Alpium ardor vocatur qui peregrinantur: oculos mirum in modum juvat. Hic videtur natura experta esse quid posset efficere.

Tres habet oppidum aditus, quorum duo vergunt ad septemtriones, tertius dicit ad meridiem. Hic situs commeatui commercioque jam ex antiquitate valde proderat. Domus habet pulchras et nitidas, viculos angustos flexuososque, ecclesiam parochiale turri subtili conspicuam, fora ampla et lata, quorum Valtherianum praecipuum est. Habitantes industriae et strenui promiscua lingua utuntur, utpote qui in Italico et Germanico loqueliis gnari et prompti sint. Magna peregrinantur multitudo urbem implet frequenter, raedae numerosissimae obtinent vias et eas stridore implet acuto. Alii veniunt, ut miram civitatis faciem intueantur, alii, ut excursiones in loca amoena quae circumjacent faciant. Pascuum Siussense, ut unum tantum exemplum afferam, Castellum Ruptum versus se extendens non longe a Bauzano distat et visitantibus haud fallacis gaudii fontem et causam esse libenter crediderim. Oropedium enim est leviter undulatum, quo nullum viridius viret, quo nullum in Europa spatiiosius invenitur, altissimis montibus circuinvallatum. Hic aer purgatior est, et si summa furit aestas aera frigidum licet haurire. O quam jucundus est adspectus, si gramina matutino rore madentia

radios primoticos solis longe lateque repercutiunt. Pecudes in agelis clivosis oberrant, fugiens rivulus per grama micat, flores qui magnifice se ostendunt ubique reperiuntur. Hic armentariorum cassae disjectae sunt, illic deversoria nova formarum pulchritudine jucunda. Qua vaccae grama tondunt placide, qua viatorum exterorum circumvagatur turba clamosa.

Alpium lustratores Bauzanum pro stativis in deliciis habent ad excursiones arduas per semitas salebrosas et calles acclives in summum montis verticem. Sunt etiam qui fune juncti in rupes supereminentes manibus pedibusque repentes audaci conamine enituntur intactas naturae amoenitates admiraturi.

Non est igitur mirum, si montanarum regionum incolae spectatis sterilibus areis et rupibus aeterna nive geluque rigentibus, visis saxis et saltibus inexsuperabilibus humano generi terrore percellebantur et fabulas varias de sagis et gigantibus, de monstris et portentis in altissimis degentibus sibi invicem posteritate servantur narranturque.

Paene lapsus sum ad aliam materiam, sed nunc al proposita revertamur. Athesis intersaeptis Isarci undis leniore jam lapsu aquarum in alveo ampliore et glareoso per Athesinum qui dicitur Agrum defluit. Hic latitudo vallis sex circiter chiliometris extenditur. Amnis qui nunc tractari potest naviculis apud Salurnum livens sub rupe cavata artioribus se committit faucibus, ubi meatus ejus vicini utrimque montes quasi retinere aut retardare vellent.

Flumen nobis secunda aqua sequentibus e longinquo municipium jam appareat illustre Tridentum, quod ex septemtrione abluitur. Praecipue est loci amoenitas laudanda, quod etsi circum montes congregantur, solis tamen luminis dona plene accipiuntur. Jam pristina aetate haec civitas dona plene accipiuntur. Jam pristina aetate haec civitas opulenta fuit, clarior tamen effecta est propter universalem Romanae Ecclesiae synodum, quae hic fuit per plurimos annos. Domos honorificas cernas, quarum facies picturis versicoloribus ornantur, illius praesertim aetatis quae a renascentibus artibus nuncupatur. Vicum Belentianum perlustremus, in forum amplissimum descendamus. Hic placide murmurant aquae, quas Triton concha sonanti praeditus et pristes daedale exsculptae in marmoreum evomunt pellvem; in quas omnes suprapositus dominatur Tridentifer.

Ex adverso basilicae venerabilis moles candore miro nitescit roseo interdum fulgore interlucens. Industriam et artem humanam admiramus quae ad opus tam stupendum pervenerunt. Juxta castellum Friderici episcopi et Palatum praetoriale turritum conspicuntur. Juvat forum iterum iterumque respicere. Quam lautum, quam hilare est! bene circumclusum et tamen spatisum.

Templum grande et severum advigilat. In honorem S. Vigilii episcopi, qui pro Christi fide gloriosam mortem oppetivit cujusque ossa hic condita sunt, extrui coeptum est saeculo decimo tertio. Lente tamen opus procedit et non ante annum 1520 venusto tamen et exquisito artificio completum est. Conspicuum est peristylum in circumferentiam ductum, magnificus tholus octogonalis qui aedem veluti corona decorat. Non sine magna animi commotione penetralia intramus tenebricosa. Hoc loco quis est cui non occurrat Concilii oecumenici memoria cujus sollemniores sessiones magna ex parte hac in aede habebantur. Concilium illud exagitatissimis Ecclesiae temporibus diu flagitabatur. Postquam plures convocationes frustra tentatae sunt et inductiones in Mantuam et in Vicetiam similiter in irritum cecidere, tandem a Paulo III Farnesio anno 1544 dictum est et anno insequente Tridenti re vera apertum, pontificis legato praesidente. Cum haec civitas tunc pars esset imperii Germanici sed ab Italis habitabatur utrique nationi accepta erat et grata. Grande sane inceptum fuit concilium et maximum fidei incitamentum. Variis impedimentis et difficultatibus objectis, quominus peragi potuerit, diutius intermissum est et aliquando translatum. Julius III qui sollicitus operam dedit, ut inceptum resumeretur, synodum in eandem urben revocavit. Pio tandem IV sedente prosecuta est et anno 1563 ad gloriam Dei et christiani populi salutem absoluta et perfecta est.

Insignius quoque et pulchrius quam ut praeteriri liceat est templo Laurentinum ad romanicae, ut vocant, artis rationem constructum. Lateres russi et lapides albi in amoenissimam colorum coalescunt unitatem. Arx quoque est, in editiore loco posita, valde conspicua, lautum et superbum olim episcoporum domicilium penes quos per tot saecula et spiritualis et temporalis erat potestas.

Lymphis minoris fluminis, quod Vellarsa audit, auctus, Athesis Roboretum versus defluit, civitatulam non invenustam. Ibi aes sacrum ingens cujus pondus XXIII millipondia excedit ex omnium nationum belligerantium pyrobalistis conflatum, auro quoque et argento intermixto in summa arce inter caelum terramque suspensum est. Variis imaginibus decoratum et celeberrimo monito Pii Papae XII inscriptum est: «Pace nihil perit, bellum omnia perdere potest.» Sub noctem per lata spatia tacentia sonum spargit vita functos plan gens. Valde commoti ingredimur aedem et ossuarium rotundum, ubi amplius duodecim milia militum sepulti sunt qui utroque bello universali gloriose perierunt. Diversarum patriarcharum legibus obsequentes pugnare, cecidere. Coadunati in morte redditum ad communem patriam caelestem aeternam hic jacentes exspectant.

Fluvius paulo infra rudera petrosa pertransit, quibus ingens montis ruina olim aream quinquaginta fere chiliometrorum in quadrum

ductorum obruerat. Cujuslibet litterarum cultoris animum statim versus subeunt Florentini vatis:

Qual è quella ruina che nel fianco
di qua da Trento l'Adice percosse,
o per tremuoto o per sostegno manco,
che da cima del monte, onde si mosse,
al piano è si la roccia discoscesa,
ch'alcuna via darebbe a chi su fosse.

Athesis nunc leni clivo se submittit et praeter S. Petri oppidulum dilabitur. Paulo post vallis in angustum concluditur apud Claustra Veronensis, ubi flumen inter albicantes montium parietes ad perpendicularm exsurgentes prorumpit et ingentem superioris Italiae planitiem influit. Huc Otto Vittelspachius, ut perhibetur, anno 1155 una cum Rainoldo Dasseliensi ab actis a Friderico I imperatore, dicto Aenobarbo, missus est, ut exercitum ejus ab impetu Veronesium protegeret. Occupata Rivola arce in angustiis sita plerasque dubiae fidei civitates in verba Caesaris adegit.

Vasta et disjecta spatio flumini adjacet Verona eoque in partes duas scinditur. Haec civitas cui collium mollis ambitus, laeta olivetarum vinearumque adjacentium ubertas et caeli serenitas divina venustate adrident, sicuti latior ita etiam omnibus hujus regionis magnificentior est, utpote quae artium thesauris magnopere valeat, magnasque plateas et amoenissimas atque praeclera antiquitatis habeat monumenta. Meidam urbis partem Athesis torrens paene circumvenit, super quem decem extenduntur pontes, qui saeviente superioris belli vesania diruti erant, nunc autem in pristinam restituti sunt integritatem. Longius equidem ad incepto traherem quam decet hanc commentationem, si omnia vel leviter tangere velim quae in hac urbe laude donanda videntur, ubi hospites ex alia in aliam ducuntur venustatem. Non igitur mirum est, si homines permulti animum inducunt huc proficisci, non tamen ob id, quod ante oculos est, quam ob recordationem majorum, qui eximia et usque ad extrema orbis terrarum notissima romanae magnitudinis testimonia reliquerunt, quae contemplantium oculos animosque obstupefaciunt.

Ex istis primarium procul dubio obtinet locum amphitheatum Diocletiani temporibus exstructum. Non enim merae ruinae sunt, quibus allici tantum solent antiquarum rerum studiosi, sed integrum et nullo fere vetustatis damno corruptum luculentissime demonstrat quanta opulentia potentiaque Verona olim fruila sit. Ingenio romano et exemplo Graecorum maxime tribuitur, si ad tantam maturitatem adducta est architectura, ut ea artis miracula proferre valuerit. Ingens marmorea moles quae ab amphitheatro Flavio tantum supera-

tur magnitudine, nostris quoque diebus spectantibus patet quorum viginti circiter milia recipit. Atqui non jam militares pyrrhichae populo exhibentur, nec leonibus et ursis homines objiciuntur, nec ferro et igne res geritur, sed festivum drama musicum nunc in amplissima arena triumphat. Pulchrum et jucundum est visu si Julio et Augusto mensibus homines cujusvis nationis ad spectacula vespertina effunduntur et stipatis gradibus turba densatur. Tunc melis dulcissimis Josephi Verdi aut Jacobi Puccini tota cavea resonat, symphonia ab adstantibus apertis et propitiis auribus hauritur. His triones et cantores lumine lampadibus projecto inundati in proscenio spatiostissimo agentes modo singulari oculos mulcent et exhilarant mentes.

Multos habet Verona claros filios, viros quorum memoriam omnes anni insequentes excipiebant. Valerium Catullum commemorare sufficit, in lyricis carminibus concinnandis omnium Romanorum poetis praestantissimum, Plinium majorem, Vitruvium et nostrae memoriae vicinore tempore Paulum Caliari, dictum Veronensem, pictorem egregium. Singularem autem cives semper profitebantur addictionem et venerationem erga Zenonem, urbis patronum. Ineunte saeculo quarto in Mauretania Caesariensi natus est, in Italiam venit, S. Ambrosii discipulus erat, postremo in Veronensem sacrorum Antistitem electus est. Quo tempore adhuc latiores Europae partes paganismi sordibus obvolutae jacebant, plurimos cives praedicando convertit ad baptismum. Iste christiana fidei athleta, fusco vultu, procera statura insolita levitate risum faciens, qui pietate et doctrina coaeuos facile superabat, maxime commendatione pollebat in vulgus. Unde poetica popularisque fabulositas orta est, quae multa tradere solet quorum historica fundamenta explanari nequeunt. Sanctorum caelitum honores Zenoni decreti sunt, nullo tamen jure martyrum numero videtur esse computandus, ut quidam perperam opinantur.

Super sepulchrum ejus ecclesia aedificata est, delubrum tali viro veraciter dignum. Egregium et singulare opus, Romanico structurae genere conceptum, quo nihil relinquebatur, quod ad ornatum excoigitari poterat. Duae sunt turres ad utrumque aedificii latus positae, in prothyris leones e marmore rubro sculpti veluti vigiles exstant. Per portam aeneam imaginibus sacris ornatam licet ingredi templum. Penetralia venustate et simplicitate venerabilia omnium visitantium oculos quin in se conversura sint non dubitaverim. Egregium lacunar ligneum, elegans statua Zenonis in choro, insignes cryptae antiquis fultae columnis, quae magni Antistitis ossa continent.

Pulcherrima quoque est visu cathedralis ecclesia similiter Romano stilo exstructa, ubi Lucius Papa III sepultus est. Propter sedi-

tionem civilem Româ profugus Veronam contendit, ibi concilium cui ipse praeverat celebravit et anno 1185 functus est vita. In epitaphio versus legimus:

Luci, Luca dedit vitam tibi, pontificatum
Ostia, papatum Roma, Verona mori.

Periegetae sunt numerosi qui ad Conventum Franciscanum gressus tendunt, ut tumbam inspiciant, quae, sicuti fama fert, Romae Montecchii et Juliae Capuletti corpora continet. El quamquam omnia fabulosa sunt, quae Matthaeus Bandello de sponsis infelicibus commentitus est, narrationem Vilelmus Shakespeare arte paene magica qua pollebat, in tragediam grandem transformavit, in hymnum magnificum, ubi amor et odium, fides et dolus, thalami et tumuli harmonia commovente effinguntur. Forsitan visitator adstans cogitatione sibi fingit sepulchrum pulchritudineJuliae olim collistratum iri, sicut ait Romaeus:

«A grave? O, no, a lantern, slaughter'd youth,
for here lies Juliet and her beauty makes
this vault a feasting presence full of light.»

Ornatam praeterea faciunt Veronam sepulchra Scaligerorum, architectura amoena aedis S. Michaeli dicatae, Forum olitorium et theatrum Romanum magna ex parte vetustate jam fatiscens. Dies mihi deficiat, si omnes venustates quae passim splendent coner afferre.

Diutius jam Veronae commorati sumus, ad Athesim revertamus oportet, qui emensis Alpium faucibus multis locis vadosus minus citatus fertur. Aqua caeno turbidior est, ripæ leniter tantum acclives et paludosae sunt. Planum amnis perfluit ingentis latitudinis quod ab Alpibus usque ad mare Adriaticum pertinet et inde Apennini montium radicibus obtenditur. Interdum, si nubibus dissolutis sudo in caelo sol clarius lucet, ab Alpium culminibus Apennini lineae extremae conspici possunt.

Humus alluvia antiquitus sedulo culta iis praesertim locis qui montibus propiores sunt diversis copiis admodum fecunda est. Moros profert quarum foliis bombyces vescuntur, numerosas castaneas, ulmos maritas, zeam flavescentem, cannabum, solana lycopersica et multa alia quae commemorare longum est. Padus, praecipuus Italiae fluvius in primis humectat planitiem quocum Athesis variis canalibus et lacunis multipliciter conjunctus est, ita ut Padi geminus haud immerito vocetur. Aggerum rupturæ et fluminum extra ripas affusiones rura inter Padum et Athesim haud raro infestant.

Contra temperies fere blanda tepidaque est et arva parum supre pelagum elata quo humidiora sunt et irrigatu faciliora, eo oryzae culturae patientiora. Agris in latis passim mulierculae conspicuntur et virgines quae dorso incurvato, vestibus succinctis genibus tenuis in aqua stantes, prout tempus anni postulat, grana serunt, steriles elevlunt herbas, plantas resecant, fructus metunt.

Rariora nunc et minoris amplitudinis juxta Athesis decursum oppida sunt, minus haec regio a peregrinotoribus celebrari solet. Legnago tamen, ut Itali vocant, ad dexteram ripae situm oppidum commemorare non desinam, quod perinde clarum et iis potissimum notum est qui de rebus bellicis accurate sciscitantur. Hic enim Napoleo, Gallorum imperator, nimia cupidine dominandi incensus omnibus fere Europae gentibus bellum inferens ab Austriaco exercitu vertente saeculo XIX devictus est. Atqui victores hunc locum aliquot post annis una cum Piscaria, Mantua, Verona in propugnaculum munivere, utpote qui saeculo elapso cum Italis a dominatu Austriaco descendentibus multoties confligebant. Tunc etiam campi Athesini, pro dolor!, circumquaque humano cuore imbuti sunt. Ad visendum oppidum hodie hospites in primis porta allicit a Michaele Sanmucheli magno artificio exstructa.

Tres sunt canales qui ad meridiem vel orientem versi ab Athesi affluunt per terras non raro paludibus foedas currunt et Pado miscentur. Quorum primus prope Legnago capit initium, alter qui Canalis Albus appellatur paulo infra abit, tertius autem juxta civitatem quae a Coenobio nomen invenit —Badia vulgo vocatur— erumpit et ad Padi ostium multipartitum properat. Athesis, ubi se mari appropinquat in plures difflit meatus et aliquot insulis effectis haud procul a Fonte Claudia in Adriaticum mare prorumpit quod crispantibus undis obmurmurat.

Fluminis cursus metam attigit, nostrum quoque est iter permensum. Jam pallio nigro nox ingruens pontum placidissime obvolvit. Hic illic in aequore infinito lucernulae micant minutae: piscatores egressi sunt retia in capturam laxuri.

Nos autem priusquam revertamur ad propria, mente revolveare juvat regiones amoenas et civitates elegantes, quas vidimus, voces avium fritinnientium, quas audivimus, vinum generosum quod sorbillavimus. Quis est qui obliviscatur hujusmodi donum Bacchaeum? Lethaei liquoris contrarium est quod non tollit memoriam, sed regustandi appetitum excitat, terrae memoriam qua gignitur provocat et revisendi cupiditatem incendit.

Magno sane gaudio perfundar, si scriptiuncta mea te, amplissime lector, ad haec loca invisenda instigaverit. Nostra haec aetas singulari quodam festinandi studio impressa ita effecit, ut homines in peregrinationibus locos quam plurimos visitare cupiunt et non nisi penso certo expleto domum revertere fas putant. Haud equidem

ignoro esse nonnullos qui nuntiis laudativis undique obstrepentibus absque sano judicio aurem praebentes nesciunt quo se vertantur.

Tunc tempus subsecivum aut foedo veterno transigunt, non alibi quam in voluptatibus animum habentes, aut, cum in aliis rebus, tum et in peregrinationibus vagi et anheli loca oberrant, caeci ad naturae miracula et ad opera humana. Ad volucrum cantum, ad rivuli murmur, ad frondis susurrum surdescunt, quorum aures et mentes voces obtundunt dissonantes, quas capsula undisona ex humero pendens jugiter spargit. Nonne melius est paucos tantum locos eosque qui magis tibi sunt cordi adire, ibique commorari diutius? Planius profecto incolarum mores cognoscuntur eorumque ingenium clarius perspicitur. Monumentorum quoque accurata contemplatio opportunitatem praebet spectatori ad meditationem de artium ratione. Alterum hominum civilem cultum alteri comparabit et ab immoderato suae nationis studio abstrahetur. Sic et periegesis ad fraternali humani generis conjunctionem firmandam conferre nonnihil valet.

Prof. GUSTAVUS WALLNER
Vindobonae in Austria
Hansi Nase - Gasse 3
A - 1190 WIEN

SACRUM GRAECI PRAESAEPNIUM *

IN TERRA PAX

*Anno septingentesimo quinquagesimo
ex quo a divo Francisco institutum est.*

Ut rigido ventus nemora invia flamine perfilat,
arida et e ramis folia omnia discutit acer!
Saevit hiems nivibus saltus vallemque, Reate,
saepe tuam obducens, avibus sed Graecium in antro
perfugium silva saeptum palantibus offert.
Pallidulo nubes inter sol orbe vagantes
emicat in caelo, nequit at dissolvere frigus.

Aprici summo exstructum stat vertice montis
coenobium, unanimi fratres ubi degere vitam
concordem pergunt, procul a clamoribus urbis.
Hic Franciscus adest placida fruiturque quiete,
mente Deum vigili dum contemplatur adorans,
ligneum cum leviter pulsatur janua, sollers
quam properat, vecte amota, reserare minister.
Atria Joannes foribus tunc parva reclusis
ingreditur, vallis castro moderator ab alto.
Obvius e cella cui mitis brachia tendens
Franciscus venit atque bonum pacemque precatur.
Laetus Joannes fari sic incipit: «Adsum
en, pater, excelsa quem nuper ab arce vocasti».
At Franciscus ad haec: «Laude es, quod sedulus adstas,
dignus, quam merces posthac divina sequetur.
Veles, Joannes, qui prima aetate fuisti,
pugnasti ac saevis miles fortissimus armis,
nunc ovis es Christi gregis aequa ac candida factus,
omnes jam menses fugiens secum abstulit annus
natalisque dies Jesu mox proximus instat,
quem tamen ipse velim insuetis post saecula multa
nunc celebrare modis, mihi nam concessa facultas
Pontifice a summo est. Quod sit nunc sedulus audi
consilium, mecum tacitus quod mente voluto».
Ille silens audit Franciscum haud multa loquentem,
omnia quae memori percepta in corde reponit.
Dein: «Pater, ipse libens —inquit— tua jussa facessam.
Cuncta pie invenies sancta sub nocte parata,

* Carmen in certamine Hoeufftiano anno MCMLXXIV Amstelodami magna laude ornatum.

obscuroque iterum Jesus nascetur in antro.
Mirus per terras circum hic cito nuntius ibit».

Insuetam jam sacra ferens nox cordibus aegris
venit laetitiam, gravium requiemque laborum.
Immensus caeli tractus fulgentibus ardet
sideribus, quae luna brevi discriminat arcu.
Et nivibus canet gelidisque obducta pruinis
terra, acri jam concreti stant frigore rivi
jucundo qui per saltus strepuere susurro,
levia praecipites laete per saxa ruentes.
At varia vallis rutilat tua luce, Reate,
flammarum, atque piis resonat via cantibus omnis,
sacra sonos fundunt alacres e turribus aera.

Qui castella tenent praeruptis condita saxis,
quique et mane Deo extollunt et vespere laudes,
rite in coenobiis, congestis caespite tectis
exiguos servant qui haud diti sorte penates,
prima luce gregem qui sueta ad pabula dicit
otia carminibus varians, qui frangit aratro
vel rastris glebas, aut dura ligonibus arva,
qui colit exstructis munitam moenibus urbem,
quae mulier curis tristique labore senectae
opprimitur, caro quae jam conjuncta marito est,
dulcia quae fingit sibi somnia mente puella,
omnes convenient ubi vastum panditur antrum
ilice consaeptum curvo cum fornice Graeci,
quo solis nequeunt radii penetrare nitentes.
Tendunt prorsus iter, manibus funalia gestant
atque faces, silvae innumeris circum ignibus ardent,
stellarum vario ut caelum splendore coruscat.
Procedunt laeti concordi voce canentes.

Eamus! Infans parvulus
panno involutus nos vocat.
Rex gentium caelo tener
descendit huc factus puer.

At frigus hic, vilos domus,
sed pax viget dulcisque amor,
et Angeli circum volant,
suavem canunt et naeniam.

Jesu, tibi sit, parvule,
laus atque honor, pacem bonus
qui das pie viventibus,
aeterna et olim gaudia.

Undique nocturnas profertur cantus ad auras,
respondent circum saltus vallisque meatus.

Omnia quae tenero Franciscus corde tuetur
illacrimans, ast ingressus laetatur in antrum.
Lignea quadruplici pede sustentata caverna
mensa stat in media, duplex quam cereus ornat.
Subter Joannes, Francisci jussa secutus,
cratibus intextum sacrum praesaepe paravit,
feni ubi demessi redolet leve falce maniplus.
Tunc auras patulis calidas e naribus efflans
advehitur lentis gradiens bos passibus, atque
dextra in parte sacrae pinguis vix sistitur aerae,
quem brevibus saliens gradibus sectatur asellus
atque aegre laeva renuens in parte locatur.
Adspicit attonitis plebs haec, quae mira videntur,
luminibus, suavis dum temptat pectora sensus.
Paulatim auditur concors resonare susurrus:
«Hic Bethlem est!», omnes mira dulcedine capti
exclamat puerumque oculis in gramine quaerunt,
nullus at in feno requiescit parvulus infans.
Incipit inde pius, sanctam progressus ad aram,
vota precesque iterans sacrum sollempne sacerdos,
omnes quem taciti summa pietate sequuntur.
Franciscus vero levitae munere functus
commota votis respondet voce precantis.
Ast ubi dein cecinit sacris quae scripta leguntur
in libris, divino ardens haec addidit igne:
«Qui caelos terramque regit, pauperrimus infans
pro nobis factus stabulo requievit in atro.
Divitias avide cur nos sectamur, nec umquam
artes exercere ideo cessamus iniquas?
At si pauperie contenti vivimus, ipsi
tunc laeti semper divina pace fruemur,
quam puer e caelis nobis huc attulit infans.
Nonne volans pacis pastoribus Angelus almae
nuntius ipse fuit, dum sit modo justa voluntas?
Ergo abeat nostris funesta e cordibus ira,
dira abeant odia et lucrorum foeda cupido!
Regnet amor tantum, hoc divinus parvulus optat,
nam Deus est, homines ubi amor conjungit in unum».

Paulatim verbis Francisci corda moventur,
liquitur ut glacies Zephyro liquefacta tepenti
atque inspersa madent lacrimis labentibus ora.
Supplex cum panem sacratum extollit in altum
et vini calicem commixti rite sacerdos,

flectunt genua solo, praesens et numen adorant.
 Tunc precibus instant omnes votisque fatigant
 Jesum sub panis specie vinique latenter,
 replent et laetis sinuosum cantibus antrum,
 cum puerum rentur, specie tantummodo moti,
 cernere se, insueto perfusum lumine vultum.
 Quem venerabundus Franciscus protinus inter
 brachia sopitum trepidanti pectore tollit,
 atque sinu refovet, lenem ut depellere somnum
 ipse queat membris suavi torpore gravatis.
 Dulcia at interea paulatim exergitus infans
 lumina discludit, tenui crispataque labella
 continuo risu, blandos convertit ocellos
 Francisci ad vultum lacrimarum rore rigatum,
 atque genas digitis permulcit mollibus udas.
 Adspicit haec plebs laetitia atque oppleta stupore.

Matutina sacris festis finem attulit hora,
 ast ideo neque in ore preces neque cantica cessant.
 Sed prius ex antro moveant quam denique gressus
 paulum omnes deinceps laeti ad praesaeppe morantur
 invitique abeunt, ac visa in pectore versant.
 Ortus at in caelo primo sol mane coruscat,
 in ramos sensim silvae penetratque rigentes,
 in numero accendens gelidas fulgore pruinias,
 dum concordi avium rosea sub luce diei
 tota, Reate, sonat vallis tua percita cantu.
 Qui sua dein repetunt clivoso tramite tecta
 quae videre alacri memorant secum omnia corde
 cumque viae sociis fundunt e pectore sensus:
 ut bos, praesaepi ut docilis prope stabat asellus,
 ut tener e feno tendebat brachia Jesus!

Bethlem quin credant se jam migrasse beatos?

Talia Franciscus, Christi succensus amore,
 instinctu invenit perculsus paene poetae,
 arenti ut natum recubantem in gramine Jesum
 sacra homines, velut in Bethlem, sub nocte videntes,
 conciperent teneros in duro pectore sensus
 atque dehinc vellent inter se agnoscere fratres.

COMMERCIOUM EPISTULARUM INTER SOCIOS

Angela Minicucci P. Josepho Mariae Mir s.p.d.

Gratias Tibi quam plurimas, pater revertissime, pro bonis omnibus sincere et eleganter scriptis, quae mihi in festos hos dies misisti. Ego quoque Tibi ex animo omnia bona fausta et felicia ominor atque exopto ut Dominus semper tuis inceptis faveat quibus impiger et alacer operam das et ad miseros aegrotantes sublevandos et ad linguam et studia latina defendenda atque inquis his temporibus propaganda.

Accepi relationem Tuam de *Colloquio Tulliano*: Tibi gratias ago Tibique gratulor qui, scite periteque Tuo de more latina lingua usus, res memoria dignissimas enarrasti quas triduo illo Ciceroniano dicta et facta sunt. Et res gravissimas ad Tulliana studia attinentes luculentiter exposuisti et ea quae in Foro Romano et Ostiae et Arpini, Petro Romanelli aliisque doctissimis hominibus ducibus, vidimus et audivimus. Omnia intento animo perlegi, gratissimam revocans memoriam dierum illorum.

Non potui ante scribere. Ineunte hoc mense, nocte quadam formidolosa, cum carboruginis vapor e cella caldaria diffluens omnia domus conclavia complevisset, in extremum vitae discrimen venimus. Quarta fere hora post mediam noctem, cum dormire non possem, e cubiculo egressa matrem vidi in ambulacro jacentem et Mariam Jolen sororem animo jam relictam. Cum ego quoque, gaseosa illa permixtione hausta, valde laborarem, anxia praeter modum et perterrita, deficientibus viribus nescio quomodo ad fores medici vix vixque perveni, qui subter habitat in secunda contignatione. Sororem statim ille in nosocomium toxicologicum deferri jussit; nobis scite auxiliatus est domi. Hac de re omnia in posterum coacta sum differre. Mihi nondum bene est. At nolo te maestitia afficere. Adhibe Domino pro nobis preces, Te oro atque rogo: multa formidolosa hoc anno perpessa, futura extimesco.

Tibi mitto vix tandem scriptum meum de conventu Ovidiano *Palaestrae* Tuae *Latinae* destinatum. Gratias Tibi ago plurimas qui in commentariis illis Hibericis relationem hanc —pro Tua humanitate— vulgandam curabis.

Etiam atque etiam vale.

Data Florentiae Kal. Jan. a. 1974.

ANGELA MINICUCCI

Angela Minicucci P. Josepho M. Mir s. p. d.

Ignoscas, domine reverentissime, quod Tibi ante non scripsi ut Tibi gratias agerem pro scripto meo de conventu Ovidiano in *Palaestra Latina* impresso. Gratias Tibi nunc debitas ago quam maximas. Omnia fere in posterum distuli quod a mense Julio in lacrimis vivo et moerore. Stella, sororcula mea miserrima, post diutinos cruciatus vita decessit. Irritae fuerunt preces meae. Ora quaeso pro ea, mihi in matura morte adempta.

Etiam atque etiam vale!

Data in urbecula 'Forte dei Marini' die XIV mensis sept. a. 1974.

ANGELA MINICUCCI

P. S. Quid Tibi videtur de adjectivo *gasificus* a me in scripto adhibito, quod nunc mitto?

*Josephus M. Mir C.M.F. Angelae Minicucci
sal. pl.*

Indulgeas mihi velim qui in tantula mora sum quo minus ad te rescribam. Citius profecto id facere oportebat cum tuis litteris certior factus sum de eventibus familiae tuae, qui vere animum tuum vexarunt atque maximo affecerunt dolore.

Nesciebam prorsus quae domi tuae acciderunt superiore mense decembri: in certo fuistis discrimine vitae tu, mater et soror. Sed omnes protectae estis superno Matris auxilio in vigilia immaculatae Conceptionis sub cuius praesidium in necessitatibus nostris filiali pietate confugimus; sed etiam praesens et efficax fuit opera medici vestri qui vos in novam vitam sublevavit.

Nunc autem tristiorum refers nuntium de sorore tua: de qua, dum vivebat, saepius ad me scripsisti et collocuti sumus; saepe ad Dominum pro ea ejusque valetudine et salute preces ad Deum fudimus.

Tu dicis irritas fuisse preces tuas; quam sententiam patres et doctores Ecclesiae minime probaturos censeo. Nam deprecatio ad Deum cum fide facta numquam irrita est: bonus ille Deus medicus et pater est providens, qui desideria et vota nostra plane novit, quae tamen suo tempore perficientur. Scimus enim peregrinantes nos esse qui aliquando ex hoc mundo cedere debemus et peregrinationem nostram cum perenni patria commutare. Cetera tu nosti et audisti in illa sanctae Missae suavissima praefatione quae pro defunctis in Domino recitatur.

Extremum interrogas de adjektivo illo *gasifluus*, quod ad Patrem Caelestem scribens, adhibuisti. Nulla mihi videtur adesse probabilis ratio quo minus vox illa in lexicum latinum inducatur: quamquam quibusdam fortasse videbitur vox genus poëticum aliquantulum sapere. Sed sunt aliae voces quarum altera pars compositi in *-fluus* finit: ut *rorifluus*: 'røre fluens', *aurifluus*: 'auro fluens', *flammifluus*: 'flamma fluens, abundans, ferens flamas': *ignifluus*: 'igne fluens, ignem emittens'. Sed hac tantum significatione vocem adhibeamus oportet. Tu ipsa perpende utrum in illo scripto tuo hic sensus congruenter necne aptetur.

Opto ut quam plurimum in Domino valeas.

Roma, die 14 m. octobris a. 1974.

Janus Novák Josepho Mariae Mir Patri reverentissimo s.p.d.

Revertor, care Pater, ad disputatiunculam tuam jucundissimam, quam *Feriis Latinis* Roboreti fecisti: ad hanc nempe de voce «*clavium modulatarum*». Inveni enim, et de hoc te commonefacere velim, aliam etiam vocem in fasciculo 26 operis, quod *Enciclopedia della Musica* [Rizzoli Ricordi] vocatur. Hic in pagina 129 imago photographica videtur clavichordii Arnoldi Dolmetsh [Londinii MDCCXCIV] cum hac lepida inscriptione:

UT + ROSA + FLOS + FLORUM
ITA + HOC + CLAVILE + CLAVILIUM

Quam bella vox et quam latine sonat! Et nihil obstat, ut etiam ad «pianoforte» nostrum transferatur, quia significatu satis generali imbuta est et satis amplo, ut etiam instrumentum hujus generis nostra aetate validissimum exprimere possit. Non quod a *clavibus* meis recedere velim, quae mihi propter similitudinem cum fidibus et propter faciles derivationes multum arrident, sed non opus est, ut contenti simus una tantum voce, cum lingua nostra copiam maioris nobis praebet, — ut etiam *fides* et *fidicula* exsistunt.

Ad *fidiculam*: legi nuperrime in «*encyclopedia*» quadam Anglica *fidiculam* fuisse instrumentum ex ligno platani factam teste Cicerone! Certe: si fidiculae in platanis crescerent, non tam stupidos musicologos haberemus!

Ceterum velim tibi olim dissertatiunculam de omnibus instrumentis musicis latine appellandis conscribere, si umquam paulum otii nactus ero, ex qua penuria temporis maxime laboramus. Nunc mihi et *Syntagma Musicum* Michaëlis Praetorii 150 Marcis Germani

nicis paravi; est mihi etiam *Clavis ad thesaurum magnae artis musicæ* Thomae Janovka [1701] et alii libri ad hanc rem utiles, nam necesse esse puto, ut libri musicorum adeantur, si voces musicas eruere volumus. Nunc solummodo ut otium sit!

Vale, Pater optime, et mutuum amorem mihi serva.

Tuus

Ex Ripa Benaci, Kal. Dec. 1972.

JANUS NOVÁK

Josephus M.^a Mir C.M.F. Jano Novák sal. pl.

Tandem ad te, care amice.

Scripsisti ineunte mense decembri atque *de clavibus* iterum sermonem instituisti.

Prius quam Roboreto excessimus —cujus memoriam, tot jucundis rebus gratam tantisque benevolentiae significationibus cumulatam, in animo infixam servamus—, jam tunc de novis propositis verbis satis haerebam dubiis, ita ut de re iterum cogitandum censuerim. Quod Nataliciis diebus tibi quoque significavi.

Scis autem Patrem Caelestem, dum *Ferias Roboretanas* in *Voce Latina* scite more suo describit, alia recondita verba patefecisse atque novam vocem neque tamen rei et latinitati satis consonam, ut credo, —*clavisonitrum*, *clavisonatrum*—, procudisse.

In eam autem sententiam inclinare tu quoque videris ut etiam *clavile* retineas in usum fortasse inducendum. Tot nominibus, nisi fallor, confusio certo fiet: si forte non in mentibus eruditorum, qui multa noscere amant, saltem in animis eorum qui simplicem exquirunt orationem latinam, qua et expedite utantur.

Ego vero non in eam discedam opinionem qua dicis rem multis expedire appellari nominibus, sed illam sequor qua —re penitus investigata atque locis scriptorum allatis quibus eorum sententia aperitur —unam tantum vocem omnium selectissimam eligamus vulgo tandem omnibus adhibendam. Nam ita in nostris linguis fit: neque unam rem multis appellamus vocibus.

Ideo ita ego censeo: scriptores superiorum saeculorum evolvi atque expendi oportere ut, quibus vocibus usi sint, ostendatur. Deinde doctorum consensu una eligenda erit qua *pianoforte* appellemus. Tu ergo —dum studia musicae perficis et completes— constanter in vestigando prosequere; quod si aliquid novi inveneris, schedam confice quam sedulo servandam repones: ex his autem certum judicium referri poterit quo vox praecipua in usum inducatur.

Laborem autem illum —in quem dicis te nunc incumbere ut indicem vocabulorum compares quae ad musicam pertinent— rem

sane optimam factu existimo. Macte virtute, optime vir et magister! Et ego ipse rei operam aliquatenus navaveram illis diebus —ante Ferias Roboretanas— quibus *de clavibus modulatis* cogitaveram et indicem a Julio Goslar (cfr. *Societas Latina*, 1936, pp. 53 sqq.) paratum expendebam; sed cum musicae et instrumentorum ignarus prorsus sim, a re destiti haud paucis dubiis obrutus. Tu quidem id perficere potes qui musicae peritissimus et expertissimus es et in lingua latina tractanda multum quoque versatus.

De his tecum cogitabis.

Deinceps, si tempus suppetet Deusque ncster adjuvabit, et ego rem rursus recognoscendam aggrediar.

Nostri memineris atque plurimum valebis.

Die 22 m. februarii, a. 1973, Roma.

Janus Novák P. Josepho Mariae Mir s.p.d.

Legi nunc inter natationes in Benaci nostri limpidis aquis, quae in *Palaestra Latina de benzina et lagoena* scripseras et maxime delectatus sum. Recte de libertate et de peduclorum piscatione, et tibi, Pater clarissime, plaudo. Ceterum heri commodum legi in libro, quem mihi emeram [L. Leone, M. Greco: *La pronunzia del latino*, Ed. Milella], lepidam explicationem hujus incertae scriptio[n]is, per quam sonum y Graeci, Latini nostri reddere conabantur.

Sed jam pridem tibi scribere volebam et te reprehendere in eo, quod in libro de *novis verbis* in pg. 65. scribis «musicam exprimere aut auscultare» et «musicae concentus», quod mihi ad verbum reddere videtur italica illa: *ascoltare la musica et concerto di musica*, sed non mihi videtur latinum esse. Quamquam Hieronymus [*Epist. I18*], habet: «musica in luctu importuna narratio», ego negare ausim vocem «musicam» vim substantivi habere, sed adjективum esse, post quod semper aut artem aut doctrinam, etc., subaudire debemus. Numquam apud bonos scriptores illud «auscultare musicam» legi (saltem non recordor), nedum de «musicae» concentibus. Cicero ipse, cum eleganter scribere vult, circumlocutionibus prorsus Bacchianis utitur: «ars numerorum ac modorum», «nervorum vocumque cantus», etc., cum simplicius loquitur: *sympiphonia canit*, «litus percrepat cantu symphoniae», etc. In cena Trimalchionis *sympiphonia* semper strepit et ad *symphoniam* omnia aguntur. Livius habet «tubarum ac cornuum concentus», Quintilianus «signorum concentus», ad fabulas Terentianas *modos* fecit Flaccus et Hermogenes optumus modulator est. Exempla potiora tibi adduxi, quae non dubito, quin noveris, qua de causa ergo locutione tam «moderna» usus sis, nescio.

Excusatum me habeas velim, pater doctissime, quod ego rusticus te reprehendere ausim. Sed magni te facio, et latinus sermo mihi cordi est. Ceterum spero fore, ut te hoc autumno videam.

Vale et modos musicos sedulo ausulta.

Tuus

JANUS NOVÁK

Ex Benaci Ripa, 12 Aug. 1973.

Josephus M.^a Mir C.M.F. Jano Novák sal. pl.

Magnopere gavisus sum, o bone, epistulam tuam legens: quod nuperrime factum est, cum his diebus ex Hispania reversus sim.

Te non solum in *musicam* assidue incumbere video, sed etiam in quaestiones quae ad linguam latinam spectant.

De *musica* —de qua me reprehendis— nihil adhuc investigavi: id suo tempore faciam libenter. Locutiones tamen, de quibus tu scribis, mihi repugnare non videntur, sed et magis definitae sunt ac multo clariores quam illae a Baccio propositae. Tu ipse rem considera: quis non intelleget si loquamur de «arte numerorum ac modorum», «de nervorum vocumque cantu», ac vel *sympiphonia*: intelligentne nos de *musica* loqui velle, ut omnes hodie vulgo loquuntur? At perspicuitas est maxima sermonis virtus, praesertim cum jam lingua latina multis fiat obscura...

Rem tamen et vocem iterum considerabo.

Spero fore ut vocem et musicam tuam Melitae summo animi gaudio audire possim: fac nos beatos!

Bene omnia tibi! ac plurimum vale.

Roma, die 25 m. augusti anno 1973.

Josephus Maria Jano suo salutem

Cum res meas ordine componere vellem, in litteras incidi in quibus quaestionem —quam tu de *musica* suscitaveras...: multa sane praeterierunt tempore a die 12 m. augusti a. 1973— me nondum plene exsolvisse tibique respondisse, aegre repperi. Id autem ut apte assequerer haud pauca his diebus legebam, hinc inde exquirebam apud antiquos scriptores, apud Patres Ecclesiae, apud Sanctum Thomam Aquinatem —qui luculentum in *Summa* (2-2 q. 91,2) habet articulum de *musica* et *cantu*—, apud recentiores in re magistros.

Ac, dum in eo eram ut in hanc vocem et in ejus sensus progressionem, ex semanticorum doctrina et normis, altius descenderem,

visum tandem est mihi his subsidiis minime opus esse, cum vocem et ejus de quo agitur usu, simpliciore explicatione enodare possemus. Etenim, alia est loquendi et scribendi ratio communis, quam vulgo loquentes adhibemus, alia autem qua in artibus et scientiis periti utuntur ac magistri. Nam nos (:omnes) vocem generaliorem saepe sumimus qua res specie diversas vulgo designamus: ita *cetum* dicimus pro 'balaena, delphino' aliisque magnis piscibus; *asellum* vocamus cum hoc nomine aliquae gadidorum species comprehendantur, in quibus *callarias, bacchus (gadus merluccius)*; *passeres, hirundines, flores...* simpliciter nominamus, cum doctiores in iis species distinguant atque scienter definiant. *Vehiculum* quoque dicimus cum de 'plaustro, de curru, de birota automotoria, de curru automobili' aliisque loquimur; ac nunc de *missilibus*, cum tot sint eorum species: nam scimus T. Livium aliosque jam de 'missilibus' locutos esse. Vulgatissimam praeterea novisti translationem qua Itali *machinam* vocant quae suo nomine *currus automobilis* est: cum 'machina' omnium sit generalissima vox quae de innumeris instrumentis ac machinamentis dici possit.

Simili quoque modo —nisi multum fallor— in illa evenit voce *musica*. Quae, primum, non adjective sumitur, sed *est re vera substantivum*: quod ab ipsis Graecis sumptum est.

Deinde, *musica* —ut est in illa notissima epistula Sti. Augustini (*Epist. 166,13*) ad S. Hieronymum— «est scientia sensusve bene modulandi»: periti autem modulantur voce, instrumentis, aut simul voce et instrumentis. 'Vocis modulatio' *cantus* appellatur: de quo est in antiquo Caeremoniali Romano: «Debent ergo cantores consonis vocibus et suavi *modulatione concinere* quatenus animos ad devotionem Dei valeant excitare».

Cum igitur in *musica* vox editur, 'canitur, cantatur, concinitur' seu 'modi, moduli, cantica proferuntur'. Instrumenta vero eo adhibentur modo ut flatu soni edantur aut pulsu excitentur.

Supremum igitur genus *musica* est: quae et in canticis et in instrumentis invenitur. Attamen, ut in exemplis supra allatis manifestum est, interdum more vulgato cum res plene non definimus, pro especie inferiore *musicam* usurpare possumus. Quod simili quodam modo in voce *piano* latine reddenda effectum est: nam sunt plurimi scriptorum loci in quibus *clavic(h)ordium* sensui vocis vernaculae *piano - pianoforte* re vera respondet: quamquam vos, qui artem musicam altius excolitis, hanc vocem non adhibetis aut plane respuitis: quia *clavic(h)ordium* aliud significare proprium instrumentum (*il clavicordio*) merito asseritis: et *piano* haud insipiente latine tu fecisti *claves*.

Neque tamen ipse solus, in hoc, de quo reprehendor, delapsus sum erratum, cum in paeclaris scriptoribus inveniri facile sit eandem scribendi vulgatam rationem. En, ad manus habeo *Hierolexi-*

con Dominici Macri Melitensis (sive sacrum Dictionarium, in quo ecclesiasticae voces... elucidantur, Venetiis 1767) qui perquam sapienter ea, quae spectant ad cantum, ad musicam, ad organa, cet., enucleat: «Respondemus hoc per accidens ex mala animi praeparatione in lascivi aurem succedere; non quia, ut supra ostendi, 'modulatio' ex se talis sit: sed ex prava audientis apprehensione; nam si ex hoc capite prohibenda esset 'delicatissima recentiorum musica', prohibendum etiam esset, exempli causa, aurum, argentum..., quia ea avidus inspiciendo posset actum avaritiae excitare...» (p. 146, col. 2). Ubi ea quae dicitur 'modulatio' certo intellegendus est *cantus*, cum ibi de hac voce agatur; et haec 'modulatio', id est *cantus*, dicitur etiam *delicatissima recentiorum musica*. Item: «Et sic cum Augustino cogimur dicere: 'Rogamus pro illis, ut qui delectabiliter organum audiunt (*et nos addamus recentem musicam*) delectabilius audiant vocem Dei». Ubi animadvertes eadem prorsus ratione dici et 'organum audire' ac *recentem musicam audire* —id est *cantum recentem* de quo ibi agitur—; ac bene nota illud incisum (*et nos addamus recentem musicam*) ab ipso D. Macro procedere qui haec verba typographice inclinatis litteris scripta esse voluit. En pariter quo modo *musicam* definiat (*Ibid.*, s. v. *musica*, p. 450): «Musica: Artificialis et melica canendi ratio, cum musicarum notarum varietate ad majorem suavitatem adjiciendam instituta, in Ecclesiis aequa usitata, et licita fuit, ac *cantus planus et simplex*». Haec autem *musica tota* est 'de canendi ratione' (:«artificialis et melica *canendi ratio*»): et 'quod canitur', *audimus*.

Absonum igitur non mihi prorsus videtur si amicis dicam —ut est in *Novis verbis latinis*, p. 65—: «saepius discos *musicam exprimentes* maxime delectatione apud vos *audiivi*»; et: «pater studio *musicam audiendi* flagrat ejusque animus suavissima completur voluptate cum *musicam classicam et recentiorem, musicae concentus*, aut Mozart et Beethoven *sympohonias auditu percipere* potest». Quae autem de *musica* dixi, ad *musicae concentum* transferri posse certo opinor.

Pergratum mihi fecisti quod 'de musica mea' me interpellasti ac quodam modo vituperasti; in spe certa sum Dominum —cui est omnis potestas— me, quamvis musicae imperitum, ad illum beatorum chorum aggregaturum, qui coram Agno in caelo cantant cantica in aeternum protrahenda.

Tibi omnibusque qui de novis verbis admonent gratus sum et ero in perpetuum. Tui memor; nostri memineris ac valebis.

Roma, dei 14 m. januarii, Anno Sancto 1975.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor
Via Sacro Cuore di Maria, 5,00197, ROMA

COMMENTARII IN DECIMI JUNII JUVENALIS SATURAM TERTIAM

(II)*

sic libitum vano, *qui nos distinxit*, Othoni.
quis gener hic placuit censu minor atque puellae
sarcinulis impar? quis pauper scribitur heres?
quando in consilio est *aedilibus*? agmine facto
debuerant *olim* tenues migrasse Quirites.
haut facile emergunt quorum virtutibus *opstat*

160

159. *sic libitum*: sic placuit, sic visum est.
qui nos distinxit sc. ut in variis caveis in theatro sederemus.
Lex Roscia theatalis, a L. Roscio Othone, tribuno plebis,
anno 67 a. C. n. lata, sanxit, quattuordecim ordines post
orchestram equestria subsellia fore.
- 160.—*hic* sc. Romae, vir qui minus habet pecuniae quam mulier,
difficile eam in uxorem ducere potest.
sarcinula diminutivum a *sarcina*; hoc loco idem valet ac
dos, quam mulier viro afferebat.
162. *aediles* in deliberando consulebant amicis, propter quod
amicci pecuniam accipiebant.
163. *olim* i.e. jam dudum.
164. *haut facile emergunt*: non facile provehuntur ad honores.
Haut est particula negans, quae idem valet ac «non».
Scribitur quoque «haud». *Opstat* primo saeculo p. C. n.
voces scribebantur magis magisque ut pronuntiabantur.

* Cfr. superiorem Palaestrae fasciculum n. 226, p. 27, ubi primi hujus
satura commentarii prodierunt.

res angusta domi, sed Romae durior illis 165
conatus: *magno* hospitium miserabile, magno
 servorum ventres, et frugi cenula magno.
fictilibus cenare pudet, quod turpe negabis
translatus subito ad Marsos mensamque Sabellam
 contentusque *illuc Veneto* duroque *cucullo*. 170
 pars magna Italiae est, si verum admittimus, in qua
 nemo togam sumit nisi mortuus. ipsa dierum

165. *res angusta domi*: ii qui parum habent pecuniae, i.e. pauperes.

166. *conatus*: nisus. Subauditur verbum «est». *magno* sc. pretio omnia in urbe Roma constant, ita ut tantum divites ibi excellere possint.

168. *fictilibus* sc. vasis id est vasis ex terra factis.

169. *translatus*: transportatus, transvectus ad *Marsos* et *Sabellos*. Sabelli seu Sabini et Marsi in monte Appennino habitabant ac homines rudes et simplices erant.

170. *illuc* i.e. inter Marsos et Sabinos. *Significatus*: Dum in urbe Roma aliquem pudet vasorum fictilium et veneti et duri cuculli, eundem haec non pudet cum sit apud Marsos et Sabinos. *Venetus*, a, um quod a Venetis est, qui lacernas, ex rudi lana confectas induere solebant. *Venetia* vero est regio in Italia Septentrionali sita, quae nostro quoque tempore eodem distinguitur nomine.

cucullus, i. m. lacernae additus est, quem cappam quoque appellamus i.e. velamentum vel tegumentum capitis, quo ventus, frigus pluviaque prohiberentur.

171-172. Cives Romani semper toga induti sepeliebantur. Sed multi Romani tam pauperes erant, ut dum vivebant nullam emere possent et primam togam tum demum induerent cum efferrentur. Romanos enim sepelire sine toga, inauditum dedecus ducebatur.

festorum herboso *colitur* si quando theatro
maiestas tandemque redit ad *pulpita notum*
exodium, cum personae pallentis hiatus 175
in gremio matris formidat rusticus infans,
aequales *habitus illic* similesque videbis
orchestram et populum; clari velamen honoris
sufficiunt tunicae summis aedilibus albae.
hic ultra vires habitus nitor, hic aliquid plus
quam satis est interdum *aliena sumitur arca*. 180

173. *colitur*: celebratur.

174. *maiestas*: sanctitas, dignitas. *ad pulpita* i.e. in scenam.
Pulpitum, i. n.

175. *exodium*, ii, n. (Ἐξόδιον) exitus seu finis. Exodium per brevis fabula erat, quae aliis per actis fabulis, ad spectatorum risum movendum agebatur, Exodium *notum* dicitur, quia eadem fabula quotannis agebatur eamque spectatores jam cognoscebant.

177. *habitus*: vestes; *illuc* i.e. apud Marsos et Sabinos.

178. *orchestra*: ae, f. sc. decuriones, qui in oppidis senatus partes agebant. Apud Romanos ea pars theatri, ubi senatores se-debant, orchestra dicebatur; in provinciis eundem locum decuriones occupabant. *Velamen*, inis, n.: signum, nota. In provinciis cives ad theatrum ibant simplici et sola tunica induti, dum Romae et tunica et toga utebantur.

180. *hic ultra vires...* hic in urbe Roma vestis splendor praeter rem familiarem est.

181. (*ex*) *aliena sumitur arca*: pecunia mutuatur ab aliis ut emantur res, quae ne necessariae quidem sunt.

commune id vitium est: hic vivimus ambitiosa
paupertate omnes, *quid te moror?* omnia Romae
cum pretio, *quid das*, ut *Cossum* aliquando salutes,
ut te respiciat clauso *Veiento labello?*

185

ille metit barbam, crinem hic deponit amati;
plena domus libis venalibus: accipe et *istud*
fermentum tibi habe. praestare tributa clientes
cogimur et cultis augere *peculia* servis.

quis timet aut timuit gelida *Praeneste* ruinam
aut positis nemorosa inter iuga *Volsiniis* aut
simplicibus Gabiis aut proni Tiburis arce?

190

183. *quid te moror?:* quid multa?

- 184-185. *quid das* i.e. quantum pecuniae Cossi servo das ut tandem aliquando ipse te admittat ad *Cossum* salutandum?
aut ut *Veiento* videat te nec quicquam tibi dicat.

Cossus et *Veiento* nobilissimi Romani sunt.
Labellum diminutivum a *labrum* est.

186. *ille* (*Cossus*) *metit* i.e. tondit barbam quod cum primum fieret, magni apud Romanos ducebatur: *hic* *Veiento* resecat capillos servi, quem praeter alios amat.

Mos erat apud Romanos diem celebrare, quo primum barba filiorum tondebatur. Formosissimi servorum longos crines portabant, qui capillati appellabantur. Cum seniores fierent capillos deponebant, quod solemniter et libis celebrabatur. Haec liba laribus offerebantur; et clientes, qui solemnitati intererant, debebant pro eis pecuniam solvere, ut ea ederent, quamobrem venalia liba Juvenalis appellat.

188. *istud fermentum* i.e. libum, sed fermentum significatum praegnantem habet, quia potest quoque significare sensu translaticio «iram». Tu, o serve, tibi habe libum istud, pro quo ego cliens pecuniam solvere debui, quod cliens servum despiciens odioque persequens dicit.

189. *peculium*, ii, n. Servi nihil ad legis normam possidebant, sed domini saepe eis aliquid pecuniae quam sibi retinerent, permittebant, quae peculium dicebatur.

nos *urbem* colimus tenui *tibicine fultam*
 magna parte sui; nam *sic labentibus* obstat
vilicus et, veteris rimae cum texit hiatum,
 securos pendente iubet dormire ruina. 195
vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli
 nocte metus. *iam poscit aquam*, iam *frivola* transfert
Ucalegon, tabulata tibi iam tertia fumant:
 tu nescis; nam si gradibus trepidatur ab imis,
 ultimus ardebit quem tegula sola tuetur 200
 a pluvia, molles ubi reddunt ova columbae.
lectus erat *Codro Procula* minor, *urceoli* sex

- 191-192. Sententia interrogativa rhetorica. Responsio enim est.: Nemo. Praeneste, Tibur, Gabii urbes sunt in Latio, Volsinii vero in Etruria. Significatus: in frigida Praeneste etc. nemo incendia, nemo tectorum casus timet. Romae magno vivitur periculo propter cotidiana incendia et domuum ruinas.
193. *urbem* sc. Romam. *Tibicen*, inis m. (a tibia-cano) trabes qui sustinet aliquid. *Fultam* a fulcio, fulsi, fultum, fulcire.
194. *nam sic labentibus* (domibus) obstat nobis *vilicus* i.e. insularum curator.
- 197-198. Mihi Umbricio vivendum est in illa urbe, ubi nulla incendia nullisque sunt nocte metus. Haec sententia impersonalis est.
198. *iam poscit aquam* ad ignem sc. extinguendum; *frivola* i.e. inania, vilia, res parvi pretii.
199. *Ucalegon*, onis, m. Apud Vergilium haec legimus: «Iam proximus ardet Ucalegon» (Aen. 2, 311). Insulae, ubi pauperes habitabant, multis tabulatis saepe constabant, quorum superiora praesertim magno periculo habitabantur propter frequentes ruinas et incendia.
- 200-202. *Significatus*: Si ignis in primo tabulato originem habuit, ille qui in summo tabulato i.e. sub tecto habitat, ultimus ardebit, quia nullo modo ignem fugere poterit.
203. *lectus*, i, m. i.e. torus, stratum, cubile. *Codrus* est vir quidam pauper. *Procula* est mulier quaedam quae etsi nana, tamen vel pro ea lectus nimis parvus est; *urceus*, i, m. cuius diminutivum est *urceolus*.

ornamentum *abaci*, nec non et parvulus infra
cantharus et recubans sub eodem marmore *Chiron*,
iamque vetus Graecos servabat *cista* libellos
et divina *opici* rodebant carmina mures.

205

nil habuit Codrus, quis enim negat? et tamen illud
perdidit infelix totum nihil. Ultimus autem
 cumulus, quod nudum et *frusta* rogantem
nemo cibo, nemo *hospitio tectoque* iuvabit.
si magna *Asturici* cecidit domus, horrida *mater*,
pullati *proceres*, differt vadimonia *praetor*.

210

- 204. *abacus*, i, m.: mensa structoria, mensa lusoria.
- 205. *cantharus*, i, m.: poculum, cyathus. *Chiro*, onis, m.: unus e centaurus. Hoc nomen cani erat, qui sub marmoreo abaco cubabat, sive vero sive sculpto.
- 206. *cista*, ae, f.: arca, canistrum; *libellus* est diminutivum a liber.
- 207. *opici*: Romani a Graecis opici in derisum appellabantur.
- 210. *aerumna*, ae, f. aegritudo. «Maeror est aegritudo flebilis, aerumna aegritudo laboriosa; dolor aegritudo crucians». (Cic. Tusc. 4, 8, 18.)
frustum, i. n. particula, fragmentum, praesertim panis.
- 211. *hospitio tectoque* nemo pauperem domo sua recipiet, nemo ei tectum, sub quo dormiat, nemo panis micam, quam edat, daturus est.
- 212. *Asturicus* patricius idemque dives est; *mater*: matrona; *proceres*: nobiles, patricii, primores. Cum Romae aliqua calamitas publica accideret, tum matronae horridis vestimentis induitae crinibusque passis per urbem ambulabant, patres vero vestimenta pulla i.e. nigra et horrida induebant.
- 213. *Praetor* justitium jubet, i.e. debita defert, si qua habuit Asturicus.

tum gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.
ardet adhuc, et iam accurrit qui marmora donet, 215
conferat impensas; hic nuda et candida signa,
hic aliquid praeclarum *Euphranoris* et *Polycliti*.
haec Asianorum vetera *ornamenta deorum*,
hic libros dabit et *forulos mediamque Minervam*,
hic *modium argenti*. Meliora ac plura reponit 220
Persicus orborum lautissimus et merito iam
suspectus tamquam ipse suas incenderit aedes.

214. Significatus: Cum domus divitum igni consumuntur, tum ignem damnamus, cum vero pauperum tabernae comburuntur, nemo de re curat.
215. *ardet* sc. domus Asturici.
216. *conferat impensas*: impensae sunt res ut: linus, lapides, testae, harena, ligna ceteraque quibus ad domum aedificandam opus est.
217. *Euphrānor*, oris; n. pictor et sculptor Atheniensis fuit, qui saeculo quarto a. Cfr. n. floruit.
Polyclītus, celeberrimus pictor Atheniensis, qui saeculo quinto a. C. n. floruit.
218. *haec*, sc. matrona ditissima. *ornamenta deorum* i.e. signa, statuas deorum. In Asia mos erat templa deorum signis ornare, qui mos Romam quoque invasit.
219. *foruli* seu loculi erant loci, ubi libri reponebantur. *Minerva* erat dea custos sapientum. *mediam* sive quia ponitur in media parte loculorum sive quia tantum dimidian partem deae exprimebat caput sc. et pectus.
220. *modius* vel *modium* mensura est. *argentum*, hoc est vasa argentea. Saepe vasa argentea signata erant, unde vim pecuniae optinebant.
221. *Persicus*, cuius domus igni combusta est, plura et meliora vasa accepit quam quae prius habuit, unde donis ditior factus est quam ante incendium fuit et jure iam suspicatur se ipse ignem in domum suam injecisse.

*si potes avelli circensibus, optima Sorae
 aut Fabrateriae domus aut Frusinone paratur
 quanti nunc tenebras unum conducis in annum.* 225
*hortulus hic puteusque brevis nec reste movendus
 in tenuis plantas facili diffunditur haustu.
 vive bidentis amans et culti vilicus horti
 unde *epulum* possis *centum* dare *Pythagoreis*.
 est aliquid, quocumque loco, quocumque recessu,* 230
*unius sese dominum fecisse lacertae.
 plurimus hic aeger moritur vigilando (sed ipsum
 languorem peperit *cibus imperfectus* et haerens*

223. *si potes avelli:* si potes relinquere ludos circenses, quos Romani multum amabant et in circo Maximo spectabant. *Sora, Fabrateria, Frusino* urbes in Latio sunt.
224. *paratur:* emitur. *Significatus:* Quanti Romae cubile tenebrosum in annum conducitur vel emitur tanti in minoris Latii urbibus conducitur vel emitur optima domus.
226. *hic* sc. Sorae, Fabrateriae, Frusinone haberi potest parvulus hortus puteusque, cuius aqua hauriri potest sine fune et diffundi in tenues arbores oleraque.
228. Tu, o Juvenalis, vel tu, o amice, vive ut vilicus, qui amat bidentem et hortum bene cultum. Bidens est instrumentum ferreum, quo terram colimus.
229. *epulum, i, n.* idem valet atque epulae, arum, f. *centum Pythagoreis:* asseclis Pythagorae. Pythagoras nullas carnes edebat oleribusque tantum vescebatur.
230. *Significatus:* non parvi est momenti tantum soli possidere, quantum lacerta occupat. Lacerta est parvum animal in Italia ubique vivens.
232. *Significatus:* hic sc. Romae multi fiunt aegroti et multi aegroti moriuntur quia non possunt dormire.
233. *cibus imperfectus:* cibus non concoctus; non confectus.

ardenti stomacho); nam quae *meritoria* somnum
admittunt? magnis *opibus* dormitur in urbe. 235
inde caput morbi. raedarum transitus arto
vicorum inflexu et stantis *convicia mandrae*
eripient somnum *Druso vitulisque* marinis.
si vocat officium, turba cedente vehetur
dives et ingenti curret *super ora Liburna* 240
atque *obiter* leget aut scribet vel dormiet intus;
namque *facit somnum* clausa lectica fenestra.
ante tamen veniet: nobis properantibus opstat
unda prior, magno populus premit agmine lumbos

234. *meritoria*: sc. ea quae pretio emuntur. Hic: cubicula, quae tanto pretio Romae conducuntur.
235. *opibus*: magna pecunia; magna pensione.
236. *inde caput morbi*: ex hoc quod omnia tam carissima Romae sunt initium morbi est. *Raeda*, ae, f, est currus genus quod quattuor rotas habet. Vox est gallica, unde rem Romanii acceperunt.
237. Apud Romanos currus saepe a bubus trahebantur. *convicia* vero ab hominibus, qui boves agebant, fiebant, ut boves citius procederent. *mandrae*, ae, f. idem valet atque armentum, i, n.; armentum sunt multi boves, vaccae, turi una sumpti.
238. *Drusus*, i, m. vir quidam Romanus, qui alte dormiebat. Apud antiquos fama erat vitulos marinos, quod piscium genus est, altissime dormire.
240. *super ora Liburna*: supra capita in lectica forma navis liburnae exstructa.
241. *obiter*: in via, dum iter facit.
242. *facit somnum*: conciliat somnum.
243. *ante tamen veniet* sc. quam nos, quam ego Umbricius veniam ad patronum meum.
244. *unda* sc. populi, sequens praecedentem figuram navis liburnae dicit populum undam facere et impedire iter pauperi, qui debet vi sibi viam aperire per magnam multitudinem populi.

qui sequitur; ferit *hic* cubito, ferit *assere* duro
alter, at *hic tignum* capiti incutit, ille *metretam*.
 pinguia crura *luto*, *planta* mox undique magna
 calcor, et in digito *clavus* mihi *militis* haeret.
 nonne vides quanto *celebretur sportula* fumo?
 centum convivae, sequitur sua quemque culina. 250
Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
inpositas capiti, quas recto vertice portat
 servulus infelix et cursu ventilat *ignem*.
 scinduntur tunicae *sartae modo*, longa coruscatur
serraco veniente *abies* atque altera pinum

245. *asser*, eris, m. *tabula*, *axiculus*, *assula*, sc. *lecticae*, *tignum lecticae*, quo servi *lecticam* portabant.
- 245-246. *hic... alter...* sc. vir. *tignum*, i, n. trabs. *metrēta*, ae, f. mensura liquidorum quae circa quadraginta litra continet. Servi metretis vinum oleum aquam et similia transpor tabant.
247. *luto* a verbo lutare. Lutum: limus, coenum, sordes. *planta*, ae, f. pars inferior pedis.
248. *clavus militis*: clavus caligae, qua milites utebantur. Caliga, ae, f. calceorum genus est, quibus praesertim milites utebantur.
249. *sporta*, ae, f. diminutivum *sportula*, ae, f. *sportella*, ae, f. id quod est in *sportula*; cedula. *celebretur*: frequenter.
250. Romani cum foris cenabant, saepe omnia ad coquendum necessaria secum ferebant.
251. *Cn. Domitius Corbūlo*, militum dux erat, Claudio et Neronе imperantibus, qui a Tacito corpore ingens dicitur. (Ann. XII, 8).
252. *inpositas capiti*: Romani, ut hodie quoque multis in regionibus, res capitibus impositae ab hominibus, praesertim mulieribus, transportabant.
253. Ad *ignem* ineundum Romani carbones candentes domo sumebant, ac sub cinere condebant.
254. *modo*: recenter, nuper. *coruscatur*: agitatur, movetur, vibrat. *abies* sc. lignum ad aedificandas domus; *sartae* a verbo sarcio, sarsi, sartum, sarcire.
255. *serrācum* vel *sarrācum*, n. genus currus: plaustrum.

plaustra vehunt, nutant alte *populoque minantur.*
 nam si procubuit qui *saxa Ligistica* portat
axis et eversum fudit super agmina montem,
quid superest de corporibus? quis membra, quis ossa
 invenit? obritum vulgi perit *omne cadaver*
more animae. domus interea secura patellas
iam lavat et bucca foculum excitat et sonat unctis
strigibus et pleno componit *lintea guto.*
 haec inter pueros varie properantur, at *ille*

60

256. *minantur populo*, quia possunt ex serraco cadere et cives conterere.
257. *saxa Ligistica*: marmora ex Liguria Romam advecta.
258. *axis*, is, m. circa quem rotae volvuntur.
fudit super agmina montem: fudit saxa super cives praetereuntes et eos conterit.
259. *quid superest de corporibus?* Sententia interrogativa rhetorica: responsio: nihil superest, nihil restat de corporibus hominum praetereuntium.
quis... invenit? Responsio: Nemo. Sententia interrogativa rhetorica.
260. *omne cadaver*: totum corpus in nihilum reducitur.
261. *domus*: id est ii qui sunt domi sc. servi. *secura*; sine cura, nihil timentes.
patella, ae, f. vasum idem ac patina, patena, ae, f. a verbo patere. Hoc loco utensilia, quibus in culina coqui utuntur.
262. *bucca* foculum excitat sc. ore flando, ventum faciendo; subjectum est domus, metonymice pro eis, qui in culina laborant.
263. *strigilis*, is, f. instrumentum ex cornu vel ex metallo factum ad corpus mundandum. *gutus* vel guttus, i, m: urceus. Ii qui convivis vinum dabant, ut minutatim vinum fundarent, tali urceo utebantur ut guttatim vinum fundere possent, unde a guttis gutus dictum.
linteum, i, n: pannus ex lino confectus: mappa seu mantele.
264. *pueros*: servos; at *ille*; dominus.

iam sedet in *ripa* taetrumque novicius horret
porthmea nec sperat caenosi gurgitis *alnum*
infelix nec habet quem porrigat ore triente.
respice nunc alia ac diversa pericula noctis:
quod spatium tectis sublimibus unde *cerebrum*
testa ferit, quotiens *rimosa* et *curta* fenestris
vasa cadant, quanto percussum pondere signent
et laedant *silicem*. possis ignavus haberi
et subiti *casus* inprovidus, ad cenam si
intestatus eas: adeo tot fata, quot illa
nocte patent vigiles te praetereunte fenestrae.
ergo *optes votumque* feras miserabile tecum,
ut sint contentae patulas defundere *pelves*.
ebrius ac *petulans*, qui nullum forte cecidit,
dat poenas, *noctem patitur lugentis amicum*
Pelidae, cubat in faciem, mox deinde supinus:

265. in *ripa* sc. Acherontis.

266. *portmea*: porthmeus, i. Charontem; *alnum*: navem.

269. *cerebrum*: caput.

270. *testa*: tegula. *ferit*: offendit. *curtus*, a, um: defectivus; *rimosus*: dehiscens, hians.

272. *silex*, *silicis*: saxi genus durissimum.

273. *casus*, us: mors, mortis, f.

274. *intestatus*: sine testamento. *adeo tot fata*: tot mortes accidere possunt quot sunt fenestrae apertae de quibus vasa in caput tuum cadere possunt ac te occidere.

276. *optes* orationes fundas ad deos, ut te salvum faciant; *votum*: testamentum.

277. *ut sint (fenestrae) contentae* defundere tantum catinos patentes nec quicquam peius, pelvis, is, f. i.e. vasum, i.n.

278. *ebrius*: ebriosus, vinolentus; *petulans*: furiosus.

279. *patitur noctem Pelidae* (Achillis) *lugentis amicum* (Patroclum) mortuum.

280. *cubat in faciem*: cubat pronus (contrarium: supinus).

ergo non *aliter* poterit dormire; *quibusdam*
 somnum vix *facit*. sed quamvis *inprobus* annis
 atque mero fervens cavit hunc quem *coccina laena*
 vitari iubet et comitum longissimus ordo,
 multum praeterea flamarum et aenea lampas. 285
 me, quem luna solet *deducere* vel *breve* lumen
 candelae, cuius dispenso et *temporo* filum,
contemnit. miserae cognosce *prohoemia* rixae,
 si rixa est, ubi tu pulsas, ego *vapulo* tantum.
stat contra starique iubet. *parere* necesse est;
 nam quid agas, cum te furiosus cogat et idem
fortior? «Unde venis» exclamat, «cuius *aceto*,
 cuius *conche* *tumes*? quis tecum sectile porrum

- 281. *aliter*: nisi occiso aliquo ebriosus poterit dormire?
quibusdam sc. hominibus; *facit* i.e. conciliat somnum.
- 282. *inprobus*: sceleratus, depravatus.
- 283. *coccina laena*: purpurea vestis. *Coccinus*, a, um: purpureus; *laena*, ae, f. est vestimenti genus grave.
Significatus: quamvis quidam sit vir malus et vinolentus tamen cavit virum illum (divitem et potentem) quem iubet vitari purpurea laena et comitum magna copia et multae taedae et lampadae aeneae.
- 286. *deducere*: reducere; *breve*: *lumen* quod per breve tempus durat.
- 287. *temporo*: moderor, lumen pro necessitate do, quo longius cedula lucem faciat; *contemnit*: non timet sc. vir vinolentus et rizosus me.
- 288. *prohoemia*: initia.
- 289. *vapulo*: pulsor. Vapulo formam activam habet, significatum vero passivum, ut et verba *veneo*, *fio*.
- 290. *stat contra* sc. grassator; *parere*: oboedire ei necesse est.
- 292. *fortior* quam tu. *acetum*, i, n. Romani, qui pauperes erant, saepe acetum vino aqua mixtum pro vino bibeant.
- 293. *tumes*: plenus es; *conche* pro concha, ae, f. conchilium, ii, n. *quis...* *sutor* tecum comedit sectile porrum et labra elixi vervecis. Porrum, i, n. vel porrus, i, m. herbae genus edibile est.

sutor et elixi *vervecis labra* comedit?
 nil mihi respondes? aut dic aut accipe *calcem*. 295
ede ubi consistas: in qua te quaero *proseucha?*»
 dicere si tempes aliquid tacitusve recedas,
tantumdem est: feriunt *pariter*, *vadimonia* deinde
 irati faciunt. Libertas pauperis haec est:
 pulsatus rogat et pugnis concisus adorat 300
 ut liceat paucis cum dentibus inde *reverti*.
 nec tamen *haec* tantum metuas; nam qui *spoliet* te
 non *derit clausis domibus* postquam omnis ubique
 fixa catenatae siluit *compago* tabernae.

294. *vervex* vel *verbex* vel *berbex*, *ecis*, m. *arietis castrati caro* est. *Labrum*, i, n. hic balneum indicat, hoc est magnum catinum in quo *vervex* elixatus est.
295. *nil*: nihil. *calx*, *calcis*, m, vel f. *calcaneum*, i, n.
296. *ede*: dic; *proseucha*, ae, f. est domus orationis ut synagoga, ae, f. templum, i, n. *In qua te quaero proseucha?* interrogativa rhetorica negativa. Nam responsio negativa exspectatur: in nulla enim potest consistere aede sacra. Apud antiquos mos viguit, qui adhuc apud nonnullas gentes viget, eos qui in templis refugia petiverunt sub deorum protectione esse nec quisquam eos tangere posse.
298. *tantundem est*: idem est, nihil rem mutat; *pariter*: eodem modo.
vadimonium, ii, n. cum auten in ius vocatus fuerit adversarius ni eo die finitum fuerit negotium, vadimonium ei faciendum id est, ut promittat, se certo die reversurum esse. (Gai Inst. 4, 184.) Pecunia deposita ante iudicem, quam accusatus amittebat, nisi die statuto veniret ante iudicem quoque vadimonium dicebatur.
301. *reverti* sc. domum.
302. *haec* id est pericula; *spoliet* a spoliare: nudat, privat.
303. *derit clausis domibus*: deerit clausis domibus. Domibus est in casu dativo. Significatus: is, qui te spoliat in media via, veniet quoque in clausas domos postquam in tota urbe omnis ianua compagine serrata est.
Compago, inis vel compages, is, f., vinculum.

interdum et *ferro* subitus grassator agit rem: 305
 armato quotiens tutae custode tenentur
 et Pomptina palus et Gallinaria pinus,
sic inde huc omnes tamquam ad vivaria currunt.
qua fornace graves, qua non incude catenae?
 maximus in vinclis ferri modus, ut timeas ne 310
vomer deficiat, ne *marrae* et *sarcula* desint.
 felices *proavorum* atavos, felicia dicas
 saecula quae quondam sub regibus atque *tribunis*
 viderunt uno contentam *carcere* Romam.

305. *ferro:* gladio, sica, cultro.

308. *sic inde huc:* ita ex palude Pomptina et ex pineto Gallinario omnes grassatores Romam veniunt. *Vivarium*, ii, n., piscina, ubi veteres pisces tenebant donec eis vescerentur.

309. *Qua (non) fornace graves, qua non incude catenae?* ac. ex qua... non proveniunt? Interrogativa rhetorica. Ex omnibus fornacibus et ex omnibus incudibus graves catenae proveniunt ut tot grassatores in carcerem detrudantur. Tot homines scelerati sunt ut fabri catenas vix suppeditare possint, quibus in carcerem detrudantur.

310-311. *Significatus:* maximam partem ferri ad vincula facienda adhibemus, tot pessimos homines habemus, ut iam timemus ut ferrum ad aratrorum vomeres et ad marras et ad sarcula facienda desit.

vomer, eris, m. est pars aratri quae terram secat.

marra, ae, f. instrumentum quo agricolae malas herbas extirpant.

sarculum, i, n. instrumentum ad terram rumpendam herbasque malas extirpandas.

311. *ordo generationis:* filius, pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus. Hoc loco proavorum idem valet ac maiorum.

313. Romani tres imperii formas habuerunt: regnum, rempublicam uniusque dominatum.

Tribuni erant plebis tutores, cum respublica floruit.

314. uno... *carcere* sc. Mamertino carcere, qui adhuc sub Capitolio videri potest.

*his alias poteram et pluris subnectere causas,
sed iumenta vocant et sol inclinat. eundum est;
nam mihi commota iamdudum mulio virga
adnuit. ergo vale nostri memor, et quotiens te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino,
me quoque ad Helvinam Cererem vestramque Dianam 320
converte a Cumis. saturarum ego, ni pudet illas,
auditor gelidos veniam caligatus in agros.'*

- 315. *his sc. causis. subnectere: addere, adiungere.* Causas sc. mgirandi ex urbe Roma.
- 316. *iumenta vocant:* boves mugiunt invitantes me ad proficiscendum; *sol inclinat* ad occasum; *eundum est:* debo ire.
- 317. *mulio,* onis, m. servus, qui mulos mulasque agit.
- 318. *ergo vale* (o Iuvenalis) *nostri memor* sc. memor Umbricii.
- 319. Iuvenalis natus est in oppidulo Aquino, quod in Latio non longe a Roma situm est. *Ceres Helvina* et *Diana Aquinatium* patronae erant. Antiquitus unaquaeque civitas deos deasque habebat, qui eas protegerent, ut hodie quoque apud Italos aliasque gentes diversi patroni diversas protegunt civitates, ut Romam Divus Iohannes Baptista, Mediolanum Divus Ambrosius, Italiam vero Divus Franciscus Asisinus.
- 321. *converte:* voca me Aquinum ab oppido Cumis: *ni pudet illas* sc. nisi pudet saturas tam inepti aestimatoris.
- 322. *veniam caligatus:* veniam caligis calceatus Aquinum situm in mediis agris.

BOLESLAUS C. POVSIC, Latinarum Litterarum Professor
Bowling Green, Ohio 43402 in Universitate Boulingriensi
in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus (U. S. A.)

CERTAMEN CAPITOLINUM XXVII

Institutum Romanis studiis provehendis, auspicibus apud Italos Administro bonis cultus humani civilisque servandis et Romanae civitatis Magistro, ad novum prosae Latinae orationis certamen omnes omnium gentium Latini sermonis studiosos homines invitat, sperans fore ut ex nobilissimorum ingeniorum concertatione aliquid emicet, quod Quiritium majestate facundiaque sit dignum.

Certaminis praemium, quod Urbis Praemium nuncupatur, erit argenteum sigillum, lupam Capitolinam imitatum, honorificentissimum Romanae civitatis munus, in basi victoris nomen atque annum et diem certaminis praeferens. Huic sigillo Administer bonis cultus humani civilisque servandis quingenta denariorum Italicorum milia ex aerario adici jussit.

Ceteri petitiores, que digni habitu sint, laude ornabuntur. Ex iis autem qui victori proximus de agone discesserit, argenteo nummo decorabitur, a civitate Romana item donato, qui in antica parte Capitoli imaginem, in aversa litterati viri nomen atque annum diemque certaminis exhibebit. Huic quoque muneri Administer bonis cultus humani civilisque servandis ducenta et quinquaginta milia denariorum Italicorum ex aerario jussit addi.

Scripta quae praemio ornabuntur typis excudenda, si visum erit, curabit Institutum Romanis studiis provehendis, ac proinde post annum tantum integrum erit auctoribus eadem in lucem edere.

Institutum Romanis studiis provehendis ad hoc prosae Latinae orationis certamen etiam scholarum discipulos adulescentesque omnes in Universitatibus studio deditos invitat. Ex iis qui primus de agone discesserit honorifica ornabitur mentione. Cui centum milia quoque denariorum Italicorum adjungentur.

Exitum certaminis cum diei Urbis natalis, sollemnia celebrabuntur, in aedibus Capitolinis, Romanae civitatis Magister renuntiabit.

LEGES CERTAMINIS

- I) Fictis fabellis, commentariolis historicis, disputationibus philologis, denique omni prosae eloquentiae genere certare licet: sed praestantium ingeniorum nova experimenta Capitolinum Certamen requirit. Scripta quibus petiores certabunt ne puerorum gymnasiis sint destinata, *ne prius in lucem edita, ne alio praemio ornata neve*

laude, neve ex alio sermone sint conversa. Petitores omnes licebit certamen adire *uno libello*.

Doctorum virorum scripta ne mille et quingentis verbis sint breviora; adulescentium autem scripta ne mille breviora sint verbis.

II) Quinque libellorum suorum exemplaria vel machinula scriptoria perspicue exarata vel typis excusa et tabellariorum diligentiae commendata mittant scriptores aemuli ad *Istituto di Studi Romani — Ufficio Latino — Piazza dei Cavalieri di Malta, 2 — 00153 Roma* a. d. XVIII Kal. Febr. proximi anni.

Studiosorum hominum exemplaria non suo tamen distincta sint nomine ne in integimento quidem, quo conclusa sunt, sed sententia munita, quae eadem inscripta sit scidulae obsignatae, nomen domiciliumque scriptoris exhibenti. Discipuli vero libellis nomina domiciliaque subscribant ac tabellam adiciant, in qua scholae vel Universitatis ordinis Praeses fidem faciat discipulum, qui ad certamen sit discensurus, vere scholae illius vel Universitatis ordinis auditorem esse.

III) Quinque viri judices erunt ab Administro bonis cultus humani civilisque servandis et a civitatis Romanae Magistro et a Praeside Instituti nostri delecti. Hi post judicium scidulas resignabunt, quae easdem quas scripta probata sententias preferant. Scripta non probata, si repetita, reddentur: sin minus, una cum scidulis obsignatis, tertio exacto mense post judicium publicatum, delebuntur igne. Eodem temporis momento adulescentium scripta, quae auctores non repetiverint, igni committentur.

D. Roma Kal. Jun. a. MDCCCCLXXV ab U. c. MMDCCXXVIII.

PETRUS ROMANELLI

Praeses Instituti

QUIBUS MODIS VERGILIUS RES ORNANDO
AMPLIFICET

(1)

I. — SINGULAS RES ET FACTA EXPOΝIT

In quoquumque Vergilii operum loco ea inveniri potest cupiditas quae singulas res et facta in exprimendo quaerit, quae omnia breviter et bellissime exprimit, quae denique sermonem ea amplificat elegantia qua noster poëta longe eminet. Quae quidem amplificatio hos fere adhibet modos.

1. — Interdum auctor casus inter se dissimiles lectori praebet.

Anchisae pertinacia. (Aen. II, 671-678). — Hoc alterius Aeneidos libri loco tres diversi casus praebentur quibus diversa etiam facta respondent:

2. — Interdum auctor quae cuique rei vel homini propria sunt praebet.

Totius poëmatis praefatio. (*Aen. I*, 1-7). — Ideo heros quem Vergilius efferre vult — poëmatis et idem princeps — non ipse Aeneas, sed ille est vir *Troiae qui primus ab oris Italianam . . . venit*. Qui quidem quodam quasi deorum signo insignitus veniebat, id est, *fato profugus*. Nec satis est *Italianam venit* dicere. Accuratius explicandum est *Laviniaque litora*. Aliis insuper notis hic profugus ornatur: *terris pactatus et alto, multa bello passus*.

Diva Venus, venatricis induens vestes, sese offert Aeneae. (*Aen. I*, 324-325).

In versu 321 et sequentibus hujus primi libri Venus orat Aenean ejusque comites:

*monstrate, mearum
vidistis si quam hic errantem forte sororum*

Dea tamen non ea solum quae vult scire narrat, sed tria addit signa suas sorores manifestare possunt:

*succinctam pharetra et maculosae tegmine lyncis,
aut spumantis apri cursum clamore prementem.*

3. — Interdum ipsa facta singillatim ostenduntur.

Junonis verba. (*Aen. I*, 3948). — In libro I, versibus 39-48, mirari possumus perscriptas plurimas res quibus Palladis potestas exprimitur: *Pallasne exurere classem potuit . . . summergere ponto . . . ? ipsa . . . disjecit . . . evertit . . . corripuit . . . infixit . . . ?*

At nunc contra vide quae sit deorum reginae, Jovis sororis et conjugis, vera potestas:

*una cum gente tot annos
bella gero.*

Juno Aeolum adloquitur. (*Aen. I*, 69-75). — Cum dea ruinam populi inimici orat qui mare Italianum versus navigat, his utitur verbis: *incute vim ventis . . . obrue . . . aut age . . . et disice . . .*

Deinde tamen magna cupiditate ea omnia dicendi, quae lectori quodam modo delectationi esse possunt, poëta fuse loquitur de Nympha quam ei conubio jungere dea promittit.

4. — Interdum primis narrationis elementis variae adnotationes addicuntur.

Aeolus, rex ventorum. (*Aen. I*, 52-58). — Hoc idem auctor assequitur copia adnotationum quibus prima orationis elementa vestire solet. Ideo in versibus 55-56, quorum praecipua elementa duobus tantum verbis —*illi fremunt*— constituuntur, tres insuper adduntur adnotationes ad ventos describendos. Nam venti *indignantes* apparent, frement *magno cum murmure* et *circum claustra*. Item Aeoli actio non paucis verbis describitur:

*celsa sedet Aeolus arce
spectra tenens mollitque animos et temperat iras.*

Quare rerum et elegantia in multis Vergilii versibus inveniri potest. Sic in versu sequenti videmus eosdem ventos omnia ferre rapidos. Haec omnia poterant exprimi per *caelum* et *terram* vel per *terram* et *mare*. Sed poëta conjunxit in uno versu haec tria elementa maxima cum simplicitate et dixit:

maria ac terras caelumque profundum.

5. — Interdum adjuncta loci, instrumenti et temporis apponuntur.

Juppiter solatur Venerem. (*Aen. I*, 265-266). — Cum Juppiter Pater Venerem solatur, futuram Romae et Aeneae majestatem praedicens, tempus diligentissime simul indicit quo illa evenient:

*tertia dum Latio regnante viderit aestas
ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.*

Mercurii legatio. (*Aen. I*, 300-301). — In his versibus scribit Vergilius:

*volat ille per aëra magnum
remigio alarum.*

Animadvertisendum hic lectori arbitramur duo complementa, aliud loci —*per aëra magnum*—, aliud instrumenti —*remigio alarum*—, quae Vergilius extollit, quamvis prima specie redundant, suam explanationem invenire in versu 301:

ac Libyaे citus adstitit oris.

Praesto equidem Mercurius ad Libyae oras venit. Quod bene notandum est, nam *aēr percursus magnus fuit*. Et idem celerrimus per-venit quia *remigio alarum usus* est.

Diva Venus historiam Didonis narrat. (*Aen. I*, 369-370). — Venus historiam Didonis desinit qui sint quaerens ei quibuscum nunc colloquitur suamque cupiditatem ad ea extendit quae in praesentia maxima curae sunt: *unde veniant et quo iter teneant*.

6. — Aut denique aliqua quasi visenda res narrationi additur.

Aeneae venatio. (*Aen. I*, 193). — Res certe visenda est in venatione Aeneae consulto eloqui cervos a se humi fusos numerum navium aequare.

Horum omnium generum alia exempla in locis Vergilii, quos nunc suo ordine dispositos afferimus, invenies.

B. II, 20; B. VII, 61-64; 65-66; B. X, 29-30; G. I, 341-342; 444; 461-463; G. II, 43-44; 63-64; 110-113; G. III, 300-303; 407-408; 473; B. IV, 144-146; 198-199, 222; 407-408; 475-477; E. I, 459-460; E. II, 364-366; 391-393; 406; 527-528; E. III, 38; 119-120; 149; 242; 262; 269; 345-348; 358-359; 464; 500; 528; 555-556; 602-603; 613-615; 682-683; E. IV, 61; 151; 211-213; 219; 239-240; 291-294; 307-308; 346; 421-423; 456; 475; 579-583; 615-616; 648-650; 672-674; 686-687; E. V, 19-20; 67-69; 168; 323-325; 327; 627-628; 661; 663; 664; 685-686; 715-716; 746; 796-797; 830-832; 858-859; E. VI, 6-8; 113; 214; 322; 363-364; 390; 404; 461-462; 490; 494-497; 643; 681-683; 704-705; 756-758; 858-859; 891-892; E. VII, 15-18; 41-44; 59; 86-88; 89-91; 100-101; 131; 149; 163-165; 173-176; 183-186; 249-251; 290-291; 342; 347; 351-353; 385-386; 468-469; 578-579; 618-619; 624-625; 626-628; 632-640; 642-644; 686-690; 814-817; E. VIII, 10-14; 45; 79-80; 98-99; 131-132; 177-178; 247-248; 266-267; 316-318; 326-327; 429-430; 486; 545; E. IX, 4; 8; 237-238; 258-259; 309; 319; 433-434; 479-480; 526-527; 723; 808-810; E. X, 113-114; 482-485; 784-786; E. XI, 8-11; 368-369; 592; 638-639; 860-862; 881-882; 898-900; E. XII, 197-199; 219-221; 268-269; 273-274; 389-390; 510-512; 600; 624; 900; 917-918.

JESUS ASPA, C. M. F.

In Instituto Bilbilitano Latinarum Litterarum Professor
Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza)

CICERO IN SCRIPTO “DE OFFICIIS” PRAECEPTA MORALIA NOBIS PRAEBET

Duorum primorum hujus operis librorum, ad Marcum filium missi, summus Romanorum orator argumenta sumit a Panaetio, gravissimo Stoicorum, atque ab opusculis, nunc amissis et perditis, ad mores pertinentibus Posidonii Apamensis Stoici, qui Panaetium audiverat. Neque dubium est quin Arpinas Panaetium secutus sit: nam ipse confitetur: «Quem (*Panaetium*) nos, correctione quadam adhibita, potissimum secuti sumus»¹. Tertio vere libro, quem suum esse declarat his verbis: «Hanc igitur partem relictam explebimus, nullis adminiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro»², a Stoicis ac Peripateticis Graecis multa hausit praesertim a Cratippo Mytilenensi, Pompei Ciceronisque amico.

Nos autem videamus quid in tribus libris de justitia, fortitudine ac temperantia Tusculanus sapiens sentiat.

In primo omnia morum praecepta verbis declarat Cicero, qui quidem de honesti originibus disputat: primum veri inquirendi atque investigandi utilitatem exitus leviter perstringit ac gravissimos erroris ignorantiaeque, deinde virtutis premium in actionibus atque in religione consistere, quae omnes homines inter se bene vivere firmiter jubet, plane adprobat praeclarus orator. Qui asserit *justitiae* primum munus nemini nocere atque omnes beneficio afficere ac fidem servare, scilicet dictorum conventorumque constantiam et veritatem. *Fortitudinem* laudabilem esse quod justitia numquam vacet et hominum utilitatem afferat contendit Cicero, qui vituperat eos, qui animi magnitudine maxime excellunt et sese ad rem publicam et ad magnas res gerendas accomodare prorsus noluerunt: nam bonorum omnium civium est rei publicae curas sumere.

Postremo aequabilitatem in naturae nostrae regula, in decore atque in necessitatibus ita constare, ut in singulis universis vitae actionibus nullam discrepantiam exhibeamus, postea officia disparium aetatum ac quid deceat et quid aptum sit personis, temporibus demonstrat. Qui, cum haec plurimis verbis explicet, Romanam potentiam ac vitae usum semper quaerit, et, morum civium suorum eximius moderator, dolet quod vitia domi atque in foro tam impu-

1. Cic., *De Officiis*, lib., III, cap. II, n. 7.

2. Cic., *Id.*, lib. III, cap. VII, n. 34.

dentius praevaleant. In infames sacri juris privati publicique violatores acerbius invehitur; et illi quod ad virtutem hac bonitatem attinet magnopere studet, et Romanorum perditos mores ut corrigat sibi proponit et de virtute paecepta tradit.

In Ciceronis verbis vir sapiens animadvertisit, qui melioris aequiorisque generis humani, quo ille vitam agit, desiderio flagrat, et in patriam et in universos homines summam ejus caritatem trepidare assidue animadvertisimus.

In secundo libro honestum ab utili numquam secerni posse clarissime declarat orator, qui scribit si qui fuerunt, qui confusa cogitatione honestatem ab utilitate atque istam ab illa secretam distinxerint, non ita philosophos summa auctoritate judicare; nam profanum vulgus, quod philosophicas res minime perspiciat, ut versutos callidosque homines admiraretur ac malitiam sapientiam judicaret, semper stulte inductum esse.

Deinde cum de utili honestoque inter se conjunctis ac necessariis disputavisset, ea quae ad usum hominum atque ad vitam tuendam pertinent, clarius demonstrat Arpinas. Sed ut minime dubitari potest, quin homines plurimum hominibus et prosint et obsint, ita virtutis est et conciliare animos hominum et ad usus suos adjungere et cohibere motus animi turbatos et oboedientes efficere rationi et iis, quibuscum congregamur, uti moderate et scienter. Ut aliorum animos nobis comparemus, nihil aptius est quam diligi; nihil alienius quam timeri. Bonam famam consequimur in homines amore, in fide quam nobis committunt cives nostri et in admiratione illorum, qui dignos laude atque honore nos judicant. Amorem adquirimus alios beneficio afficiendo, fidem prudentia atque justitia comitibus, admirationem singularibus virtutibus, quae vulgus inducant ut ad amplissimos honores nos extollat.

Summus orator nobis paecepta dedit, quae ab Ecclesiae Patribus suscepta, praesertim a sancto Augustino, transmissa sunt nobis, qui haud dubie meliores ac sapientiores essemus, si ea omnino coleremus.

Juvenes nostri vero, qui honoris et nominis causam appetunt, videant ne utile ab honesto umquam separent dum quodlibet publicorum munerum curriculum adsumunt.

AEMILIUS PIOVESAN, Litterarum Latinarum Professor
 Via Fontane, 111
 31100 TREVISO (Tarvisii in Italia)

ORESTES BADELLINO

1896 - 1975

Orestes BADELLINO Augustae Taurinorum die vicesimo altero mensis februarii MCMLXXV e vita decessit.

Sanctae Victoriae de Alba, in Pedemontio, anno MDCCCXCVI natus est. Augustae Taurinorum litterarum et jurisprudentiae laureas feliciter consecutus, litteras docuit, primum Clarasci, prope Albam Pompeiam, deinde Augustae Taurinorum in Lycaeо a Massime d'Aze-glio nuncupato.

Magister fuit optimus, quem discipuli attentissime audiebant et valde diligebant. Munus hoc didacticum usque ad virium suarum limitem perficere studuit. Sed labores scholastici, quamquam eos summa cum conscientia agebat, ei satis non erant. Non solum libros optimos scripsit de lingua latina, de lingua graeca necnonde historia antiqua, sed lexicon¹ monumentale excogitavit, quod Sancto Pontifici Johanni XXIII dicatum est et de quo nihil melius quam ipsa Sanctae Sedis verba rescribere potui:

«Ex ingenii doctrinaeque fructibus, quos Augusto Pontifici frequentes catholicorum exhibet pietas, volumen abs te Ipsi nuper oblatum, quod «Dizionario della Lingua Latina» inscribitur, Sanctitati Suae accedit gratissimum.

«Duplicem enim hoc magnae molis opere assecutus es laudem et utramque merito: alteram ob amplissimam eruditionis copiam, qua te exornatum ostendis, alteram ob incepti opportunitatem, cum huiusmodi lexicon adiumentum non tenue omnibus Latinae linguae studiosis allaturum esse videatur.

«Mens tibi in operoso labore suscipienda ea fuit, ut non solum voces dictionesque traderes ex optimis Romanorum scriptoribus delectas, verum etiam, quod magni momenti est, ut vel novissima vulgaratae linguae vocabula latina interpretatione donares. Quo fit ut ad expolitae Latinitatis consuetudinem ipse viam quasi sternas, atque in aperto declares, quanta dicendi elegantia et facilitate Romanorum sermo apte ad res novas significandas adhiberi queat».

Sicut apparent e praedicti operis mole et perfectione, Amici nostri patientia artem et eruditionem ejus aequabat. Quam patientiam

1. DIZIONARIO ITALIANO LATINO, in correlazione con il DIZIONARIO DELLA LINGUA LATINA GEORGES-CALONGHI. Edidit Rosenberg et Sellier. Augustae Taurinorum. 1962.

iterum demonstravit cum librum valde desideratum², sed a viro magis audaci quam culto inchoatum, propter hujus amicitiam, summa cum benevolentia ter quam optime castigavit. Orestes enim non solum humanitatem coluit, sed homo fuit facillimus atque humanissimus. Etsi ornatissimus erat ac doctissimus, humiles et indoctos non sprevit. Immo, omnis zelotypiae expers, eos ad clivos eruditionis ascendendos hortabatur et adjuvabat.

Praeterea vir non fuit qui tantum in litteris valeret. Patriae bis serviit, priore alteroque bello mundiali, itaque cruce militari ornatus est. Fidissimus quoque erat amicus et dignus laude paterfamilias.

Una cum Orestis uxore dilecta, liberis optatissimis, nepotibus carissimis, hominem bonum et praeclarum lugemus. Latinae tamen linguae propugnatorem, fidei vere catholicae cultorem, civem denique ex his ultimis qui viri nomine adhuc digni sunt, jam mortuum esse credere non possumus. Qua de causa illum generationibus novis in exemplum proponamus oportet.

C. DESESSARD

Résidence des Collines C 9

06 MANDELIEU (France)

2. Quod opus «Assimil» ipsos adversarios arma forte deponere coget. Jean CAPELLE, in *VITA LATINA* n.^o 1 (junii 1957).

B I B L I O G R A P H I A

DEBUT, J. — ΔΙΔΑΣΚΩ, *Manuel à l'usage des Grands Débutants des lycées et universités*. Première année, tome I. Ed. "Les Belles Lettres", Paris, 1973. Pag. XVI-453.

Laudanda sane est Dnna. J. Debut quod novam rationem linguae graecae tradendae viamque temptaverit, qua hodierni alumni universitarii graecorum cultum, instituta litterasque perdetemptim apprehendant. Novam quidem dicimus rationem, nam J. Debut, ut indolem tantum grammaticam in tradenda lingua vitaret, praeter elementa initiationis syntheticae quibus etiam utitur, linguam graecam aggreditur comprehendendam non nullis aliis haud parvi momenti utilitatisque subsidiis, in quibus memoremus oportet usum seu expositionem morphologicam, semanticam, syntacticam simul perficiendam; quae omnia e textibus optimorum scriptorum initium in exponendo sumunt. Tres partes complectitur opus. Prima ("Préliminaires") quasi introductio fit quod ad geographiam Graeciae, historiam civilem, historiam litterariam, linguam graecam cum indoeuropea collatam, sonos et litteras, vocabulorum formatiōnem, declinationem, conjugationem, signa (spiritus et accentus), leges phoneticas, ordinem verborum ceteraque spectat; altera pars grammaticae tradendae destinatur hanc fere viam insequendo: primum parvus textus praeponitur cum vocabulario el commentatione; deinde res quaedam morphologica explanatur et aliquod argumentum ad graecorum humanum cultum spectans exponitur ut denique textus aliquantulo longior de re quoque afferatur notulis seu commentariis grammaticis et lexicographicis illustrandus. Tertia parte complementa

grammatica continentur, quae ab alumnis consulantur, ad morphologiam, syntaxim, etymologiam attinentia. In extremo opere indices per utiles protestant nominum propriorum, bibliographiae, tabularum.

PIETTE, F. - DUYSENK, FR. — *Dialogues*. Textes latins à l'usage du cycle supérieur. Quatrième édition. Ed. H. Dessain, Liège, 1973. Pag. 434.

En vera atque mira in edendis textibus scriptorum latinorum novitas, quam nobis hoc opus "Dialogues" inscriptum offert. Cujus novitatis clavem operculum voluminis ipsius lectoribus praebet: videre enim licet imaginem illam notissimam "Philosophi" quod vulgo dicunt, cogitationi dediti baculoque innitentis Pompeiisque in villa "Boscoreale" inventi, praeter alias quoque imagines cum veterum tum recentium philosophorum qui facile dignosci possunt: Seneca, Plato, Pascal, Gide, Cicero, Valéry, Rostand, Rousseau, Moriac... Nam in eo consistit operis novitas ut, certo constitutoque arguento, textus scriptorum latinorum textusque philosophorum recentiorum de eisdem rebus tractantium afferantur ad quoddam quasi invisibile colloquium ineundum. Quod auctores sunt assecuti 243 textibus seu locis optimorum scriptorum latinorum quibus determinatur argumentum seu res tractanda quam plurimis eisque recentioribus textibus litterariis aetatis nostrae illustranda. Sed non tantum philosophi in colloquium hac ratione ac via inducuntur: alumni quoque hodierni eorumque magistri ad eosdem dialogos invitantur 725 quaestionum seu interrogationum ope quibus cogitata

ac sensa praeclarissimorum philosophorum omnes nos quasi agitare et retractare possumus de re politica, de societate socialique vivendi modo, de sensu scientifico, de regulis morum, de religione ceterisque maximi momenti cum antiquis tum recentibus aisque omnibus perpetuis apud homines argumentis. Sincero ergo animo auctoribus gratulamur quod tam novam tamque vividam tradendi textus latinos rationem invenerunt ad utilitatem et jucunditatem alumnorum.

SÁNCHEZ ABELLÁN, F. — *Canon Romano*. Fuentes y paralelos literarios y comprobantes arqueológicos. Ed. Universidad Pontificia, Bibliotheca Salmanticensis, VII, Estudios 6. Salamanca, 1974. Pág. 164.

“*Canon Romanus*” verum exstat monumentum atque documentum maximi momenti in liturgia cum ex sobrio dicendi genere tum ex solemniori rithmo quo exaratus est. Quo ratio seu structura rithmica e clausulis illis metricis exoritur quas Cicero Romanam intulerat. Duplicem quasi novitatem in opere Prof. Sánchez Abellán agnoscere possumus: a) Scitam fontium et locorum parallelorum Canonis Romani investigationem —qui loci in scriptis graecis et latinis inveniuntur—, liturgiam et orientalem et occidentalem patrumque utriusque Ecclesiae immo etiam scriptorum classicorum testimonia sedulo conferendo; b) Judicium stilisticum et aestheticum ab auctore “*cursus rithmici*” ope perfectum, praeter alia in dicendo adminicula in quibus “*numeris*” eminet ceteraque haud parvae utilitatis adjumenta, quae in dizione graeca et romana jam inde a sophista siculo Gorgia apud rhetores auctoritate pollent. Hujus investigationis auctor, theologus simulque in re philologica classicorum peritus, apertissimis cognitionibus instructus videtur ad examen ineundum textus liturgici

ejusque virtutes dotesque rite existimandas. In fine operis est tabula synoptica quattuor columnis disposita ubi textus latinus, publica Ecclesiae conversio, A. Udina conversio et conversio ab auctore emendata prostant. Opus utilius redditur selecta quoque recentique de re bibliographia.

EISENHUT, W. — *Dictys Cretensis ephemeridos belli Troiani libri a Lucio Septimio ex graeco in latinum sermonem translati*. Ed. Teubner, Leipzig, 1973. Pag. LII-152.

In scita operis praefatione primum Prof. W. Eissenhut, ut scriptorem non omnibus ne mediocriter quidem cognitum aliquo modo cognoscendum significet, non nulla hoc fine habet: quid “*Ephemeridos belli Troiani*” nomine contineatur, quo genere dicendi usus sit interpres latinus, quod discrimen inter “*Dictym graecum*” et “*Dictym latinum*” intersit, quis Septimus ille fuerit quaque vixerit aetate, quo pacto opus e tenebris codicum feliciter eruptus sit. Deinde Prof. W. Eissenhut longiorem producit orationem de codicum traditione qua ad nos opus *Dictys Cretensis* pervenit minutissimis commentariis de historia et descriptione codicum interpretationis latinae “*Ephemeridos belli Troiani*”, prout editio in primis critica expostulare videtur. Denique textus latinus apparatu critico instructus insequitur reliquias voluminis paginas occupans, quarum ultimis papyrus ad Tebtunim et ad Oxyrhynchum inventa indexque nominum per utilis ad locos consulendos continentur.

PAPANIKOLAOU, A. D. — *Xenophontis Ephesii Ephesiacorum libri V de amoribus Anthiae et Abrocomae*. Ed. Teubner, Leipzig, 1973. Pag. XX - 117.

Prof. A. D. Papanikolaou, qui hanc

editionem Xenophontis Ephesii operis quod Ephesiacorum libri V de amori-bus Anthiae et Abrocomae inscribitur, curavit, nos certiores facit luculentissima praefatione, in qua praecipuas libelli quaestiones illustrare intendit ut aliquid lucis eisdem afferat de tempore nempe et natura compositionis litterariae, de codicibus inventis, de codicum varia traditione, quo modo Xenophontis Ephesii "mythistoria" ab inlustribus in re philologica viris tractata sit atque investigata. Praefatione peracta conspectus fit librorum per praecipuas editiones, versiones, conjecturas et emendationes, dissertationes varias, sigla demum discurrendo. Opus de more apud Teubnerianas aedes apparatu critico instruitur et in fine indicibus nominum et verborum locupletatur.

ROCHA - PEREIRA, M. H. — *Pausaniae Graeciae descriptio*, vol. I, libri I - IV. Ed. Teubner, Leipzig, 1973. Pag. XXV - 358.

Praeter non nullas praefationis paginas editionibus, dissertationibusque selectis dicatas, maxima ejusdem pars codicibus operis describendis destinatur. Quod in critica editione opportunitissimum jure videtur. Praemissis memoratisque nominibus virorum doctorum qui de Pausaniae codicibus disseruerunt (J. H. Schubart, H. Hitzig, Fr. Spiro) ad singulos codices describendos Prof. M. H. Rocha - Pereira operam suam scite seduloque navat: *Venetum* gr. 413, *Leidensem* B. P. G. 16 L, *Parisinum* gr. 1400 qui praecipiui aestimantur aliosque magni momenti qui in traditione manu scripta insequuntur. Textus graecus paginas 1-358 amplectens apparatu de more critico instructus appetet; ibi quattuor libri primi Pausaniae Graeciae descriptionis continentur, quorum videlicet argumentum habes: 1. Attica; 2. Corinthiaca; 3. Laconica; 4. Messe-

niaca. Opus valde utile iis praesertim qui antiquae Graeciae geographiae describendae vacant.

STAMATIS, E. S.; HEIBERG, J. L. — *Euclidis Elementa*, vol. IV: libri XI- XIII cum appendicibus. Ed. Teubner, Leipzig, 1973. Pag. XXXI-238.

Quae hoc volumine IV operis, quod "Euclidis Elementa" inscribitur, continentur, ex ipsis Prof. E. S. Stamatis verbis testimonium sumamus oportet: "Libri undecimus, duodecimus, tertius decimus ad studium stereometriae pertinent; undecimo libro XXVIII definitiones praemittuntur sequunturque XXXIX propositiones quae ad parallelepipeda pertinent. Duodecimo libro proprietates pyramidis, coni, cylindri, sphaerae investigantur. Libro tertio decimo de quinque regularibus polyedris in sphaeram inscribendis agitur; ultimoque loco ejusdem libri propositio sequitur, qua solum quinque nominata regularia polyedra construi et in sphaeram inscribi posse demonstratur". Editio, praeter breviusculam praefationem, "Testimonia graeca lingua conscripta atque latina continet, textum graecum cum apparatu critico ad calcem, et appendices I-II. Qui rerum mathematicarum sint studiosi, hoc opus adire convenit, ut explicationes de re ab Euclide antiquorum mathematicorum principie prolatas, rite perpendant.

ZIEGLER, K. — *Plutarchi Vitae Parallelae*, vol. III, Fasc. 2. Ed. Teubner, Leipzig, 1973. Pag. XXVI-405.

Luculenta de codicum traditione praefatione peracta, Prof. K. Ziegler altera quoque praefatione de vitis Galbae et Othonis scitissime agit, ad indeolem in primis editionis criticae quod spectat. Nos certiores facit auctor seu voluminis curator "ex vitis imperatorum romanorum octo a divo Augusto

ad Vitellium, quas Plutarehus conscripsisset vitas Galbae et Othonis ad nostram aetatem pervenisse non parallelarum vitarum corpori adnexas, sed farragini illi scriptorum diversi generis insertas, quae Moralia vocare consuevimus". Reliqua eaque maxima praefationis pars codicibus recensendis destinatur: a) qui non ex corpore Planudeo ducti Galbam et Othonem continent; b) qui ex corpore Planudeo ducti Galbam et Othonem continent; c) quibus vitae Galbae et Othonis adjunctae sunt. Includitur quoque tabula lectionum codicis Matritensis N ab hac editione discrepantium. Vitarum Galbae et Othonis textus graecus per 399 paginas producitur apparatu critico ad calcem, ut editio critica postulat, instructus. Ultimas operis paginas "Vitarum deperditarum fragmenta" occupant, quibus explicit volumen tertium, fasc. 2.

KUNDEREWICZ, C. — *Sex. Julii Frontini de aqueductu urbis Romae*. Ed. Teubner, Leipzig, 1973. Pag. XVIII - 70.

En tibi quae parvo volume continentur: Praefatio (p. VI), Conspectus editionum (p. XII), Conspectus librorum saepius laudatorum (p. XIV), De Sex. Julio Frontino veterum testimonia (p. XVI), Conspectus siglorum (p. XVIII), De aqueductu urbis Romae (p. 1), Index nominum et rerum (p. 61). Praefatione tantum traditio codicum describitur; ad conspectum editionum quod spectat, praecipuae operis recensentur editiones: editio princeps a Pomponio Laeto et Sulpicio Verano 1484 - 1487 exarata et altera editio a Joanne Giocondo parata ceteraeque quae currentibus annis ad nos quoque pervenerunt. Ad veterum de Sex. Julio Frontino testimonia quod spectat, memoremus oportet quid de eo habeant Tacitus, Plinius, Martialis, Vegetius. Forntini opuscu-

lum inaestimabile habendum est et fons quo uti debent qui cognoscere velint aquarum urbis Romae distributionem nec non imaginem perfectissimi viri romani qui officio publico accuratissime functus est.

DAITZ, S. G. — *Euripides, Hecuba*. Ed. Teubner, Leipzig, 1973. Pag. XXXVI - 102.

Descriptionem editionis pro lectoribus faciamus: In praefatione primum de codicibus agitur, praesertim de viginti illis codicibus qui ad textum constituendum Prof. S. G. Daitz maximi pretii visi sunt quique ab eo sunt quoque accurate collati. Huc etiam accedunt codices alii qui passim vel raro adhibentur, ostracis et papyris ad instruendam Hecubam utilibus minime neglectis. Praeterea tabulae afferuntur lectionum verarum et falsarum in non nullis codicibus ex erroribus metricis selectarum, tabula colometricae verae et falsae, consensus colometricus ceteraeque hujus modi commentationes quae ad editionem criticam pertinent. Conspectus editionum praecipuarum datur selectaeque memorantur dissertationes. Tandem textus graecus apparatu critico ad calcem paginarum posito legentibus prostat. Appendix metrica magnam lectioni afferre potest utilitatem, nam versuum quasi specimina metrica descriptione notantur. In extremis operis paginis apparatus exstat colometricus cum versibus numero consignatis quo facilius loci Hecubae inveniantur.

KLOTZ, A.; KLINNERT, Th. C. — *P. Papinius Statius, Thebais*. Ed. Teubner, Leipzig, 1973. Pag. LXXVI - 630.

En verum monumentum litterarium quod Bibliotheca Scriptorum Graecorum et Latinorum Teubneriana, per illustribus viris A. Klotz et Th. C.

Klinnert editionem curantibus, maximis omnium laudibus exegit. Volumen quod recensendum in manibus habenuis, editio est correctior Prof. Th. C. Klinnert superioris editionis quam A. Klotz antea curavit. Primum legenti obviam it editoris praefatio, in qua dissertissimam quasi introductionem primus curator Thebaidis habet. Ibi quamplurima invenies de Statii Thebaide, quae jam inde a decimo saeculo usque ad quintum decimum saepissime transcripta est quamplurimis codicibus, quo patet quanta homines medii aevi aestimatio ne eam prosecuti sint; Statii ergo Thebaidos praecipui codices describuntur: Britannici, Gallici, Helvetici, Germanici, Batavi, Italici ceterique; de eorum stirpibus diserte quoque agitur accuratissima ratione prout res critica expostulat. Duodecim libri Thebaidos pag. voluminis 475 occupant. In fine operis est appendix quo argumenta cu jusque libri poematis statiani paucis hexametris contrahuntur. Magnae du cimus utilitatis indicem nominum in Statii Thebaidem et Achilleidem ad locos facile consulendos quorum praecipua verba ibi quoque memorantur. Ultimae vero paginae praefationem editionis correctioris constituunt, ubi Prof. Th. C. Klinnert scite agit de rebus novis quae hac editione continentur, sive ad historiam codicum, sive ad novas textus lectiones Statii, sive ad corrigenda et addenda ad tex tum et apparatum criticum et ad in dicem nominum spectantes.

EICHENSEER, C.; PAUCKER, G. — *Latinitas viva*. Copyright Notizschriftverlag G. Paucker, Düsseldorf, Bismarckstrasse 89, 1974.

Mense julio superiore anno ad se dem Palaestrae Latinae pervenerunt non nulla tantum folia a colendissimo

amicco nostro Rdo. P. Caelesti Eichenseer, O. S. B.: quasi nuntius quidem libri edendi qui "Latinitas viva" inscribendus erat. Nam hoc sibi auctores proposuerunt: "ut aditus ad latinitatem vivam facilius ad descendam et docendam preebeat planior". Dum amicis amicos C. Eichenseer et G. Paucker impensis communi opera pro latinitate viva in libro brevi vulgando laborare in prasens aestiniamus ut quam primum e prelo in lucem prodatur, nos lectoribus nostris de tanto incepto certiores ultiro facimus non nulla verba prooemii introductoryi revocando ad ampliorem totius libri cognitionem. Totum opus in tres partes partitum est. Prima quidem parte fundamenta, quae sunt ad scientiam peritiamque sermonis cottidiani maxime necessaria, exhibentur haec: verba temporalia sermonis quotidiani usitatissima, locutiones inevitabiles brevissimique sermones ineffugibiles. Secunda parte nomina tam antiqua quam moderna in imaginibus demonstrati vis exhibentur, quibus lineamentis vocabula vitae modernae facilius memoriae mandantur. Ita dicendi ratio audibilis et visibilis adhibetur. Parte ter tia hujus libri tractationes continentur, quibus de rebus secundae partis agitur. Parte quarta permulta exempla responsorum reddendorum praebentur atque alia quibus de rebus quaestionibusve cottidianis agitur. Quinta parte continetur index eorum vocabulorum modernorum quae in hoc libro adhinentur, latine et germanice et franco gallice et anglice exhibitorum. Denique sexta parte proverbia sententiae que continentur, quae cessarunt jam in posessionem totius fere generis humani. Marent ergo —comiter roga mus— operam auctores amicique nostri "Latinitatem vivam" exarandi, dum nos incepsum omne felicissimo felicissimaque spe prosequimur.

FANO, G. — *Origini e natura del linguaggio*. Piccola Biblioteca Einaudi 209, Torino, 1973. Pag. XVI - 427.

En altera editio operis quod alio indice seu titulo "Saggio sulle origini del linguaggio" anno 1962 vulgatum est. Quod opus quasi conatus videbatur atque nunc videtur audacissimus aggrediendi solvendique quaestionem quam disciplina linguistica traditionalis consulto et injuriose praetermisserat. In duas partes praecipuas opus dispertitur: PARTE PRIMA: A. *Indagine intorno all'origine del linguaggio*; B. *Rassegna storica delle dottrine glottologiche dai Greci ai nostri giorni* (p 7 - 288). Propositorum seu sententiarum Prof. Georgii Fano, qua phonetico sermoni sermo quidam mimicus ac gestuosus antecessit atque comitatus est, quam plurimis nititur argumentis ex varia dictione humani cultus de sumptis, ut ex historia originis et evolutionis scripturae, ex analysi elementorum graphicorum sermonis, ex usu mimico priscorum hominum, e surdorum mutorumque modo mutuo inter se communicandi, e psychologia simiarum formam humanam simulantium. PARTE SECUNDA: *Dalla natura o essenza del linguaggio. Principi di una linguistica generale* (P. 289 - 387), ubi auctor explicat rationem seu theoriam organicam sermonis qua continetur expositio signorum linguisticorum efficientium, rerum comportarum et observationum series de quaestionibus linguae artificiosae, controversia demum vehemens adversus duplarem confusionem inter aestheticam et semanticam ex altera parte et inter semanticam et logicam ex altera. Propter sumam in exponendo claritatem ac simplicitatem, hic liber, novitate non obstante rerum comportarum atque conclusarum, cuique lectori commendatur quamvis rerum linguisticarum ignaro.

ANDRE, J. — *Apicius, L'Arte Culinare*. Ed. "Les Belles Letters", Paris, 1974. Pag. XXXII - 236.

Apicius, longe omnium scriptorum de re culinaria princeps apud romanos, opus non levis momenti exaravit cuius editionem Prof. J. André sub "Les Belles Lettres" auspiciis studiosissime curavit. In ejus introductione auctor Apicum "divitem et prodigum" (Tacit.), lautissimis dapum inventis notissimum inducit, qui priusquam opipare edendi vivendique tenorem amittere pateretur, consumptis omnibus fere divitiis, veneno sese interfecit; praeterea de operibus Apicis diserte agit, qua aetate vixerit atque scripserit Apicius, quos de re culinaria apud graecos et apud romanos habuerit praecessores, quae scripta exaraverit quasque vicissitudines haec subierint donec corpus, ita ut ad nos perveniret, temporis condicionibus mutaretur; quare libri indicibus seu titulis graecis sit instructus; qui codices traditionis manu scriptae habeantur optimi, quae exstiterint editiones principes quaque in primis ratione haec editio in lucem vulgo prodierit. Opus Apicij legentibus Palaestrae Latinae commendare non dubitamus, quippe quod scriptum magni momenti habeatur ad humanum antiquitatis cultum altius cognoscendum et in primis ad callendum sermonem latinum quod ad syntaxim, vocabularium, phoneticam ceteraque non minoris commodi attinet. Decem de arte culinaria libros Apicij excerpta a Vinidario viro industri insequuntur; utrumque Apicij scriptum castigata interpretatione francogallica donatur. Huc accedit ad majorem legentium utilitatem quod in extremo opere commentarii protestant necnon index hominum et locorum, index mensurarum et ponderum, index plantarum, index utensilium, index ciborum.

WALTZ, P. - SOURY, G. — *Anthologie Grecque. Première partie: Anthologie Palatine, tome VIII* (livre IX Epigr. 359 - 827). Ed. "Les Belles Lettres", Paris, 1974. Pag. 296.

Ne quae de superioribus Anthologiae Graecae voluminibus, prout in lucem vulgabantur, eadem fere in praesens repetamus de indole naturaque editionis, sufficiat tamen non nulla annotare de libro IX, quo Epigrammata 359 - 827 continentur. Qui in litteris graecis mediocriter versatus sibi videatur, facile aestimabit quantae sit auctoritatis haec Anthologia Palatina quae inscribitur, opus ad lyrice dicendi genus praestantissimum. Volumen operaे postumae nota insinuitur, nam ejus eximii curatores mortem obierunt antequam editio perficeretur; Societas Editrix "Les Belles Lettres" eorum scripta copiosissima asservavit et in lucem feliciter demum protulit. Epigrammata libri IX 359 - 827 includuntur textu graeco, accurata interpretatione francogallica, brevi apparatur critico opportunisque annotationibus instructa. Ut mos est apud editores in aliis voluminibus divulgandis, annotationes additiciae et index nominum finem operi imponunt.

HENRY, R. — *Photius, Bibliotheque, tome VII ("Codices" 246 - 256)*. Ed. "Les Belles Lettres", Paris, 1974. Pag. 234.

Societas, quae "Les Belles Lettres" inscribitur, volumen VII Bibliothecae Photii in lucem superiore anno edidit. Quod volumen haec Photii scripta graeca continet: Codices 246-256: 246 Aristidem (col. 8-126), 249 Pythagorae vitam (col. 126-134), 250 Agatharcidam (col. 134-189), 251 Hieroclem (col. 189-206), 252 Sancti Gregorii vitam (col. 207-209), 253 Septem Dormientes (col. 209-211), 254 Timothei martyrium (col. 212-213), 255 Deme-

trii martyrium (col. 213-215), 256 Alexandrum et Metrophanem (col. 215-228), Textus duabus continetur columnis adversis quarum dextera linguae graecae et laeva interpretationi francogallicae reservatur; ad calcem praeterea cujusque paginae annotatione brevisque apparatus criticus et in extremo opere notulae additiciae prostant.

SETTIS - FRUGONI, Ch. — *Historia Alexandri elevati per grifhos ad aerem*. Origine, iconografia e fortuna di un tema. Ed. Istituto Storico Italiano per il Medio Evo, Studi Storici - Fasc. 80-82, Roma, 1973. Pag. 364. L. 14.000.

En investigatio singularis seu monographiae indolis cuius argumentum in narratione consistit ascensus Alexandri ad aerem a grifis advecti. Novem capita aliquo modo describamus ut notitiam operis sibi commendent lectores. Cap. I: Narratio ascensus in historia fabulae romanensis Alexandri (p. 5); Cap. II: Quidnam grifus in traditione iconographica mundi classici significet (p. 25); Cap. III: Caeli contemplatio: sensus atque fortuna iconographiae Alexandri (p. 85); Cap. IV: Narratio ascensionis prout in contextu fabulae romanensis Alexandri appareat (p. 107); Cap. V: Initia litteraria de argomento ascensionis "philosophicae" (p. 121); Cap. VI: Quo pacto Alexandri ascensio cum aliqua apud orientales ascensione conferri possit (p. 133); Cap. VII: Iconographia ascensionis Alexandri in mundo bizantino praesens (p. 147); Cap. VIII: Qui textus quaeque imagines pictae ascensionis Alexandri in Gallia et in Germania supersint (p. 209); Cap. IX: De Alexandri ascensione in ornatū ecclesiarum occidentaliū descripta (p. 265). Index universus nominum et rerum quae in opere continentur (p. 341). Quod

opus opportunissimum aestimamus cum ad historiam litterarum graecarum et latinarum, tum ad iconographiam quod spectat, nam unum idemque argumentum in quam plurimis variisque humani cultus ostentationibus significatur atque pertractatur in multis populis occidentalibus; non frustra enim apud hispanos Joannes Laurentius Asturicensis fabulam quoque Alexandri romanensem hispanice indice "Libre de Alexandre" saeculo XIII aptavit.

WARMINGTON, B. H. — *Nerone*. Ed. Laterza, Roma, Bari, 1973. Pag 243.

Prof. B. H. Warmington anno 1969 Londinii volumen "*Nero. Reality and Legende*" inscriptum edidit, quod Editores Laterza Barrii lingua italica vulgarunt, P. Brengola et V. Calvani interpretibus. Prof. B. H. Warmington qui de historia romana benemeritus "*The North African Province from Diocletian to the Vandals Conquest*" e "*Carthage*" multa eaque magni ponderis scripsérat, vitam Neronis nobis tradit, qua Imperator, alumnus olim Senecae, tyranus dein immisericors, victima matris simul atque carnifex, invisus optimatis, amore autem plebis cumulatus, vivissimae picturae ope ante oculos nostros revocatur atque inducitur. Quae vitae neroniane descriptio fontibus innititur optimorum scriptorum atque documentorum, amplissimi prospectus historici imperii romani lumine illustrata. Hac via procedit auctor: I. *Fonti per la storia del principato neroniano* (p. 7); II. *Ascesa di Nerone al principato* (p. 19). III. *Seneca e i principi di governo* (p. 34); IV. *Coperazione tra imperatore e senato (54-62)* (p. 51); V. *La corte di Nerone (54-62)* (p. 63); VI. *Il governo delle provincie* (p. 74); VII. *Le finanze imperiali* (p. 89); VIII. *La difesa del-*

l'impero (p. 126); IX. *Nerone, imperatore filello* (p. 146); X. *L'incendio di Roma del 64 e le sue consequenze* (p. 165); XI. *La congiura pisoniana (65)* (p. 180); XII. *Lo stoicismo e l'opposizione a Nerone* (p. 189); XIII. *La caduta di Nerone* (p. 206). *Bibliografia* (p. 231). *Indice dei nomi* (p. 237).

MAZZARINO, S. — *L'Impero romano*. Vol. I, p. 277; Vol. II, p. 247; Vol. III, p. 957. Ed. Universale Laterza 243, 244, 245, Roma - Bari, 1973.

S. Mazzarino, clm. historiae graecae et romanae Professor, qui opera vulgaverat quibus index: "Stilicone" (1942), "Dalla monarchia allo Stato repubblicano" (1945), "Fra Oriente e Occidente" (1947), "Introduzione alle guerre puniche" (1947), "La fine del mondo antico" (1959), "Il pensamento storico classico", tria volumina edidit quibus summam quandam perficere intendit ad conjungendam historiam imperii romani cum historia ecclesiae christiana. Quem ad finem argumenta illa praestantissima cultus humani occidentalium aggreditur exploranda atque disputanda jam inde a saeculo augusto usque ad institutionem populorum romanorum - barbarorum saec. V p. Chr. Res oeconomica et historia humani cultus mirum in modum implicantur in hac cohaerenti narratio- ne ubi, simul atque instituta romana sese evolvere et quasi saeculorum decursu evanescere videmus, primo structurarum feudalium diluculo quodam modo intersumus. Ad unumquodque operis volumen, ut non nulla notemus, accedamus. Primo volumine introductione de operibus universis ad historiam imperii enarrandam peracta, prima operis parte "saeculum augustum" et altera parte aetas julia-claudia, luxus senatorius, plebeiorum perturbationes tractantur. Secundo volu-

mine pars operis tertia Flaviis et Antoninis, quibus altissima hominum et pro hominibus significantur studia, dicitur. Quarta parte de humano cultu populari reddendo ac de rei publicae antiquae discrimine. Tertio volumine quinta eaque ultima pars operis tardiori imperio describendo destinatur. Unaquaeque pars selectissima recentissimaque bibliographia locupletatur ad praecipuas de re quaestiones illustrandas. In extremo volumine tertio per utiles appendices et addenda prostant.

ANDRE, J. — *Pline l'Ancien. Histoire Naturelle, Livre XXV*. Ed. "Les Belles Lettres", Paris, 1974. Pag. 186. F. 35.

Incipit liber XXV Plinii conspectu quodam historico ubi ex ordine memorantur clarissimi in re botanica et in arte medica antiquitatis cum graecae tuni romanae sapientes qui "antiquam medicinam", ut Plinius dicit, excoluerunt; postea "claritas herbarum" pertractatur, non eo quo ut mirabiles habeantur hujus modi herbae, sed quia earum nomen seu inventio alicui deo vel viro vel nationi debeatur. Inde, exempli causa, *mithridatia, eupatoria, polemonia, vettonica, cantabrica* ceteraque. De herbis etiam quae ut antidota aestimantur contra serpentes aliaeque venena. Ultima operis parte describuntur generaliter remedia quae unicuique corporis parti in morbis medendis applicantur. Itaque haec argumenta toto opere disputantur: naturae herbarum sponte nascentium, herbae ab animalibus repertae, aliae quam plures herbae, remedia oculorum, remedia aliorum morborum. Postquam textum latinum cum apparatu critico et interpretationem francogallicam persolveris, annotationes invenies additicias ad quosdam locos illustrandos nec non indicem nominum et rerum quo utiliter finitur opus.

CLAVAUD, R. — *Démostene, Discours d'apparat (Epithaphios, Eroticos)*. Ed. "Les Belles Lettres", Paris, 1974. Pag. 140. F. 40.

Introducione universa de traditione codicum primae et secundae familiae peracta, per ampla praebetur notitia ad utrumque opusculum quod spectat. Sed antequam de re agamus, lectores admonitos volumus duo hujus modi opuscula in extrema codicum serie prostare, ita ut aliqui critici Demosthenem eorumdem auctorem negaverint exstitisse. Ad primi opusculi notitiam accedamus quod "EPITAPHIOS" seu "oratio funebris" inscribitur pro viris qui ad Chaeroneam in pugna deciderunt. Prof. R. Clavaud de orationis momento, de ejus arguimento, de vera Demostheni attributione, de oratione in litteris superstite, de codicum traditione perite disserit. Quibus pertractatis, textus graecus et interpretatio francogallica insequitur. Quod ad orationem alteram attinet cui "EROTIKOS" seu "oratio de amore" est index, in otitia praevia agitur de cogitatis Demosthenis in hoc opusculo contentis, de "Erotici" genere litterario, de tempore compositionis et de auctore, de traditione codicum quod ad eorum primam et secundam familiam spectat. Reliqua pars opusculi eadem ratione atque superius instructa est. In extremo volumine annotationes additiciae de more prostant.

FLACELIERE, R. — *Plutarque, Oeuvres morales, Tome IV, Dialogues Pythiques*. Ed. "Les Belles Lettres", Paris 1974. Pag. 220. F. 40.

Nominatio "Dialogi Pythici" ipsius Plutarchi est, quibus colloquia "De E Delphico", "De Pythiae oraculis", "De defectu oraculorum" continentur. In universa introductione de codicum praecipuorum traditione disputatur. Quo facto primum "De E

Delphico" (PLAN. 68) fit notitia, ubi agitur quo pacto donum "E" (graece "anathema") diis oblatum devovetur et quare hic dialogus hoc indice instruatur, qui in colloquio interveniant, quae regulae orthographicae serventur, quae praecipua in colloquio cogitata videantur. Deinde "De Pythiae oraculis" (PLAN. 73) praebetur quoque notitia: quasnam Plutarchus quaestiones exagit de oraculo Delphorum, quo tempore colloquium exaraverit, quaenam Plutarchi praecipua cogitata in eo inveniantur, quibus in primis opusculum destinetur, quae adjuncta historica describantur. Denique "De defectu oraculorum" habetur etiam notitia: fidei et religionem temporibus Plutarchi apud Graecos plurimum decreuisse, hoc Plutarchi colloquium quasi summam esse de divinatione, non nullos philosophos Plutarchum ut fontes consuluisse, certas esse causas quibus oracula adeo prolapsi sunt. Unaquaque introductione seu notitia finita, textus insequitur graecus cum apparatu critico et interpretatione francogallica; volumen explicit annotationibus additiciis, indice nominum priorum, indice rerum quae in textu memorantur atque pertractantur.

BYL, S. — *Vocabulaire grec de base*. Troisième édition. Ed. H. Dessain, Liège, 1969. Pag. 132.

BYL, S. — *Tableau synoptique des principales racines grecques*. Ed. H. Dessain, Liège, 1966. Pag. 42.

Hoc lexicon praecipuorum verborum graecorum quae in litteris graecis frequentiore usu veniunt alumnis in primis destinatur. Vocabula graeca ordine grammatico disponuntur: nomina, adjectiva, numeralia, verba, reliquae voces grammaticae. Auctor superiore opere M. Desportes ("Vocabulaire grec", O. C. D. L., Paris,

1961) usus est sed non nulla adjunxit vocabula quae necessaria discipulis in interpretandis scriptoribus sibi videbentur. Cum id fieri potest, Prof. S. Byl vocabula francogallica apponit de radicibus graecis derivata ad alumnorum memoriam adjuvandam communemque familiam linguisticam recognoscendam. Altero opusculo "*Tableau synoptique des racines grecques*" inscripto Prof. S. Byl 400 radices graecas ordine alphabetico redigit, quae ad conformandum lexicon scientificum recentis aetatis multum conferunt. Itaque alumni hujus vocabularii ope manu quasi ducuntur in vocabulis hodiernis perdiscendis, quae ceterum ex amplitudine progressuque scientiarum plurimum sunt multiplicata. Hac ratione in exponendis vocibus titutur auctor: primum forma gallica radicis consignatur, exempli causa, radix *bal-*, *-ble*, *-bole* et bellum graecum praebetur: βάλω; deinde sensus gallice exprimitur: "je lance" et conferuntur verba alia ex eadem radice derivata: "*balistique*", quod denique gallice quoque explicatur = "science qui étude le mouvement des projectiles"; "*diable*" = "démon" (le calomniateur); "*discobole*" = "qui lance le disque". Utrumque opusculum aestimamus futurum utilitati esse cum alumnis tum magistris in technologicis verbis hodiernis ediscendis.

GOSCINNY - UDERZO - RUBRICASTEL-LANUS. — *Asterix Gallus*. Ed. EHA-PA Verlag GMBH, 7 Stuttgart 1, Postfach 1215, 1973. Pag. 48.

Risum teneatis, amici, si libellum, qui "Asterix Gallus" inscribitur, perlegere patiamini. Nullibi certo sanior jucundiorque risus! Vobis ipse confiteor uno oculorum tractu ne una quidem littera vel imagine picta omissa me universum legisse, ubi in manus

libellus mihi alias recensiones criticas librorum paranti incidit. Venustissima libelli editio: omnia enim in eo nitent et imagines vivis coloribus depictae et perpetui dicendi lepores et ingenii celeritas ceteraque notatu digna. Libellus sumptibus EHAPAE Stuttgardiae editus est, in quo exarando convenerunt Goscinny qui fasciculum seu dolum Asterigis Galli composuit, Uderzo qui pinxit, Rubricastellanus qui in latinum sermonem apte convertit. Auxilium praestantissimum et magistris et alumnis ducimus opusculum. Namque hujus modi Asterigis jucundissimae narrationes —quae ob omnibus fere orbis terrarum pueris in praesentia leguntur studiosissime— ab omnibus ad ineundum cultum classicae antiquitatis et populorum europaeorum probabantur. In eo enim invenies optimam occasionem ad mores cum romanorum tum gallorum cognoscendos, ad militiae et religionis instituta memoranda, locutiones quae ad sermonem communem vulgo spectant, res momentaque hilaritatis plena ceteraque haud spernenda quae pueris ad jucunde linguam latinam perdiscendam admodum sane collatura esse putamus. Pueri enim nostri qui primis litteris latinis erudiuntur summo gudio Asterigis Galli pericula dolosque legentes afficiuntur. Quam plurimas ergo libelli editoribus gratias referimus quod hoc pulcherrimo Asterigis dolo tam scite utile dulci miscuerunt.

ALMO COLLEGIO BORROMEO. — *Antologia dei "Saggi di umanesimo cristiano"*, Quaderni dell'Almo Collegio Borromeo (1946 - 1955), Pavia, 1973. Pag. 726.

Commentarii qui "Quaderni dell'Almo Collegio Borromeo" inscribuntur praesentiam quasi producunt hoc operre anthologico, quo quam plurimae lu-

cubrationes eaeque maximi ponderis et auctoritatis annis 1946-1955 divulgatae sunt a scriptoribus Societatis Borromaeae Ticinensis exaratae. Cum onnes, ob spatii exiguitatem, memorare nequeamus, de non nullis disputationibus, quae nobis propter earum momentum, argumentum, amplitudinem memoratu dignae visae sunt, mentionem faciamus: G. CASELLA, *Humilitas* (p. 7-14); P. PRIMI, *La filosofia di Gabriel Marcel* (p. 31-64); G. GETTO, *Guido Gozzano* (p. 117-152); E. BIGI, *L'invito a Lesbia* (p. 197-206); F. ALESIO, *La mistica della ragione nel pensiero di P. Martinetti* (p. 207-226); D. RASTELLI, *Restauri Danteschi* (p. 259-283); I. SANESI, *Divagazioni intorno alla lingua letteraria e ai dialetti* (p. 289-302); L. MARANINI, *Cavalleria, amore coniugale e amore cortese nel "Chevalier au Lion"* (p. 319-340); A. PROTTO, *Lucretiana* (p. 401-426); F. ALESIO, *La religione secondo Ibn Rochd* (p. 437-449); A. ROMANÒ, *Documenti dell'elaborazione petrarchesca* (p. 451-464); P. DE BENEDETTI, *Il poema gotico* (p. 465-469); E. BIGI, *Il "Passero solitario" e il tema della solitudine nella storia della poesia leopardiana* (p. 477-488); A. GARZETTI, *I valori morali nella vita pubblica degli antichi* (p. 489-502); G. CRISTINI, *Studio sul "Cimetière marin". Significato e valore del poema* (p. 517-528); C. BOZZETTI, *Ambienti e paesaggi nelle "Confessioni" di I. Nievo* (p. 542-566); P. DE BENEDETTI, *Il problema della letteratura religiosa* (p. 567-573); O. ANDREANI DENTICI, *Le radici psicologiche della fiaba* (p. 599-611); A. PROTTO, *Appunti per una estetica agostianiana* (p. 513-630); C. ANGELINI, *Manzoni* (p. 663-674); G. BARBERI SQUAROTTI, *Carducci 1955* (p. 675-691); G. BARBERI SQUAROTTI, *Saggio di un commento stilistico alla Pentecoste manzoniana* (p. 697-715).

ZIEGLER, K. - SONTHEIMER, W. - GÄRTNER, H. — *Der Keline Pauly Lexicon der Antike*. Lieferung 24 (Sponsio - Thunfisch), col. 312 - 800). Ed. Alfred Druckenmüller, Artemis Verlag, München, 1974.

Maximis laudibus plausibusque prosequi solemus novum quodque volumen quo hoc corpus lexici antiquitatum amplificatur. Quod non frustra facimus cum tanto jure aestimetur opus in quo exarando tot viri peritisimi convenient, ita ut in conficiendo fasciculo seriei XXIV quem lectoribus recensendum tradimus septem et septuaginta inlustrissimi viri de quam plurimis argumentis ad antiquitatem classicam attinentibus sapientissime disseruerunt. Scripta hujus modi tantummodo notemus quae sive argumenti momento sive auctoritate praestantiora videantur: a) vocabula quae ad humanum cultum, religionem, philosophiam, institua varia spectant: *Staatsformen*, *Stadion*, *Steinbruch*, *Stenographie*, *Stephanos*, *Sternbilder*, *Stoa*, *Strategos*, *Sufragium*, *Symmachia*, *Sympoliteia*, *Symposion*, *Synoikismos*, *Tabellio*, *Taberna*, *Tabulae Duodecim*, *Taktik*, *Talent*, *Tartaros*, *Technik*, *Tellus*, *Tempel*, *Testament*, *Testamentum*, *Testimonium*, *Thanatos*, *Theater*, *Therapeuten*, *Thermen*, *Thesauros*, *Theurgia*; b) nomina viorum inlustrium memorabilia: *Statilius*, *Statius*, *Stilicho*, *Strabon*, *Suetonius*, *Sulla*, *Sulpicius*, *Symmachus*, *Tacitus*, *Talos*, *Tantalos*, *Tarquinius*, *Telemachos*, *Terentius*, *Tertullianus*, *Thales*, *Themistios*, *Themistocles*, *Theoderich*, *Theodoros*, *Theodosios*, *Theocritos*, *Theophilos*, *Theophrastos*, *Theopompos*, *Thukydides*; c) nomina geographica communiora: *Syrakusais*, *Syria*, *Tanagra*, *Tarentum*, *Tarraco*, *Tartessos*, *Tauros*, *Tegea*, *Thasos*, *Thebai*, *Thermopylen*, *Thessalien*, *Thrake*. Marent igitur editores tantum opus

perficere ut omnibus corporis fasciculis absolutis studiosi rerum antiquarum ad manus in consulendo praesto habeant lexicon praestantissimum.

GIL MUÑOZ, C. — *Exploración de la imaginación*. Ed. Studium, Madrid, 1973. Pág. 128.

Qui in dizione psychologica medio-criteri sese tantum versaverit, facile compertum habet quantis difficultatibus investigatio de ingenii celeritate seu imaginatione quam vulgo dicimus implicantur. Quod perspicue patet cum nondum investigatores sunt rationem illam assecuti validam qua imaginatio ejusque natura rite illustrantur. Huc accedit quod ipsa verbi etymologia parum lucis ad quaestiones attulit, immo ex ipsa rei difficultate quam plurimi psychologi in hanc aream ingredi quasi non audere videntur. Quapropter auctor audacter sed auctorate aggressus est investigationem de ingenii celeritate quam vulgo imaginationem appellamus. Quae exploratio in duas partes dividitur: prima notiones praecipuae de ingenii celeritate disputandae proferuntur: quid nempe imaginationis notione significetur, quae variae de re definitiones agitantur, quae genera et adspectus in animi celeritate dignosci discernique possint, quas formas seu modos haec animi celeritas ceterum exhibeat; altera parte auctor de rationibus seu technicis psychologicis ad explorandam imaginationem agit: quae in primis tentamina seu probations (vulgo "tests") ad creationem artisticam, ad autodescriptionem, ad structuram intellegentiae ejusque virtutem spatialem spectat, his nostris diebus in hoc psychologico argumento validiora atque praestantiora merito existimentur.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

B I B L I O G R A P H I A

SEBASTIÁN GARIJO, J. — *Antonio Zambrana de Bolaños* (1616 - 1705). Bibliografía y actuación al servicio de la Inquisición Española. Bibliotheca Salmanticensis VIII, Estudios 7, Universidad Pontificia, Salamanca, 1974. Pág. 104.

Antonius Zambrana de Bolaños (1616 - 1705) omnibus fere muneribus Inquisitionis Hispanicae saec. XVII exeunte et saec. XVIII ineunte functus est. Quae de hoc viro investigatio, quam J. Sebastián Garijo habet, ansam simul praebet ad quandam intimam Inquisitionis Hispanicae quasi radiographiam perficiendam, nam hujus personae publicae occasione documenta primi ordinis eaque nondum edita revocantur, quo fit ut luce nova notissimum Inquisitionis tribunal conspergatur. Tribunal enim Sancti Officii quam plurimos reos judicavit et ideo hac nostra aetate ab omnibus judicatur, quorum alii vehementissime improbant Inquisitionem, alii autem eam apologeticis armis totis viribus defendunt. Pauci tamen auctores huius institutionis structuram ejusque regulas, judiciorum formas atque processus, praxim illam saepe theoreticis rationibus adversam, uniuscujusque muneric conformationem juridicam ceteraque maxime in jure momenti funditus investigarunt. Quod auctor intendit atque assequitur illas omittentis et impugnationes et apologias quibus historia atque natura Inquisitionis Hispanicae totiens obscurata est.

SOLÉ, J. M. — *Aquí tens la teva Mare*. Ed. Claret, Barcelona, 1974. Pág. 254.

Opportunissima plane occasione usus quingentesimi anni a primo libro in Hispania edito et in lingua catalanica exarato, qui “*Les trobes en l'abs de la Verge Maria*” inscribitur, P. Josephus Maria Solé, cmf., opus quoque Marianum catalanica lingua ardente in Beatam Virginem amore conscriptum legendum offert. Ubi primum volumen versaveris, statim percipies verum esse et animi pietate ac devotione et auctoritate doctrinae rerum Marianarum breviarium. Introductione peracta qua auctor jura maternitatis mariana erga homines theologis argumentis vindicat, sex quasi praecipua capita apperit ubi: I. Maria vera Mater appet figurarum et prophetiarum luce Veteris Testamenti illustrata; II. Maria Mater quoque in Evangelio prostat; III. Maria Mater in mariologia Concilii Vaticani II confirmatur; IV. Mariae munera materna; V. Cor Mariae maternum; VI. Experientiae filiales. Opus Marianum lectoribus vehementer commendamus, quippe quod, ut antea diximus, mariologiae breviarium seu summa jure est aestimandum, optimis traditionis patristicae, theologicae, asceticae rationibus expositum, tutissima Ecclesiae doctrina instructum, ardentissimoque erga Virginem Matrem studio ac dilectione conscriptum.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

TEXTOS PALAESTRA LATINA

| | |
|---|------|
| GRAMATICA GRIEGA, Planque, Aneme, Lerniaux, 2. ^a ed. | 100' |
| GRAMATICA LATINA, J. Delgado. (Agotada) | 70' |
| REPETITORIUM, J. Delgado | 70' |
| DE ORTHOGRAPHIA LATINA, J. Delgado | 20' |
| INDEX ORTHOGRAPHICUS, J. Delgado | 6' |
| CICERONIS PRO ARCHIA ORATIO, J. Delgado | 20' |
| CICERONIS IN CATILINAM ORATIO PRIMA, J. Delgado | 20' |
| HISTORIAE SACRAE COMPENDIUM, J. Delgado | 20' |
| EPITOME HISTORIAE GRAECAE, J. Delgado | 20' |
| CICERONIS EPISTULAE SELECTAE, J. Mir | 20' |
| VIRGILI AENEIDOS LIBER II, E. Martija | 20' |
| PRUDENTI CARMINA SELECTA, E. Martija | 20' |
| CORNELI NEPOTIS VITAE, M. Ramos | 20' |
| CICERONIS PRO Q. LIGARIO ORATIO, M. Ramos ... | 20' |
| MARTIALIS EPIGRAMMATA, R. Sarmiento | 15' |
| HORATI CARMINA SELECTA, Zuloaga | 20' |
| HOMERI ODYSSEA, Lib. I, D. Ruiz | 25' |
| XENOPHONTIS ANABASIS, M. Ramos | 25' |
| NOVA VERBA LATINA, J. Mir | 500' |

Pedidos a:

EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.^o 5

BARCELONA (10)

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissae:

- 179 Isòcrates - Discursos (vol. I)
- 180 Ovidi - Amors
- 181 Aristòfanes - Comèdies (vol. III)
- 182 Cal.limac - Himnes
- 189 Cèsar. Guerra de les Gàllies (vol. I)
- 190 Aristòfanes. Comèdies (vol. V)

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA